Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Matthias Wasmuth

Matthiae Wasmuthi, D. & Prof. in Acad. Patriâ Kiloniensi, Heautontimorumenos Hebraeo-Mastix: sive Ostensio Manifesta Convicti in conscientiâ pessimae causae Anti-Hebraeae Hermanni Conringii, Medico-Politici Helmstadiensis : Quando nuperrimè Loco iustae Responsionis ad verum Controversiae Statum, Orbi Erudito expectatae, frivolam opposuit Actionem Iniuriarum ..

Kiloni[i]: Reumannus, 1669

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn793008832

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn793008832/phys_0001
DFG

Ded. 88 p
143 p
79 p
Epist. 178 p Ind
Pr. 60 p
Pr. 54 p

1/14/

F.C. 1391 1-6

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn793008832/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn793008832/phys_0004
DFG

MATTHIÆ WASMUTHI,
D. & Prof. in Acad. Patriâ Kilonienſi,

HEAVTONTIMORUMENOS HEBRÆO-MASTIX:

ſive

OSTENSIO MANIFESTA

Convicti in conſcientiâ peſſimæ cauſæ Anti-Hebrææ

HERMANNI CONRINGII,

Medico-Politici Helmſtadienſis,

Quando nuperrimè

Loco juſtæ Reſponſionis ad verum Controverſiæ Statum, Orbi Erudito expectatæ,

frivolam oppoſuit

ACTIONEM INJURIARUM,

ſine Jure & Judice:

dum à certo ſibimet delecto Tribunali Sereniſſimô Gottorfienſi, advagum provocans Utopicum, NULLUM (è pag. 22 & 23 Actionis Injur.) ſibi placere Judicem, apertè prodidit:

atque hôc pactô, Humilis copiosè beatur.

ut cauſâ antè principali, ſic nunc Actione Injuriarum cecidit omni. Petreus Jacobi Holmius.

Jer. 48, 10. Maledictus ſit, faciens opus Domini cum prævaricatione, i. e. *fucatô prætextu elabi ſinens hominem noxium.*

KILONI.
Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.
Anno 1669.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn793008832/phys_0005
DFG

Conring. Resp. alt. ad Valer. Mag. p. 9. Debuisses etiam repetere, quæ ego tibi jam objeceram, vel NB occupaveram responsione; & ostendere, quod illi vitium insit. Horum verò agis NIHIL. Hoc verò mi Valeriane, (*Conringi*), est fucum Lectori facere, vel nugari, si tuâ pace licet, quod verum est, profiteri. *Et pag.* 10. *ibid.* AN HOC REFUTASSE EST, NEGARE ALIQUOD INTACTIS EJUS PROBATIONIBUS?

Hoc facit, & monitus est minor ipse suis.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. CHRISTIANI ALBERTI,

Postul. Coadjutoris Episcopatus Lubec:
Heredis Norwag. Ducis Sleswigæ, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorst:

JUDICIO AULICO,

DNO PRÆSIDI, Cancellario,
& Reliquis Consiliariis Cameræ
& Aulicis,
DOMINIS meis omni honoris cultu
submissè venerandis,

Hunc Colophonem utriusque Causæ
Anti-Conringianæ,
Tesseram animi tàm benè conscii, quàm Favori
ipsorum constanter approbandi,
humiliter
DAT, DICAT, CONSECRATQUE
AUTOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn793008832/phys_0007
DFG

Perilluſtris & Excellentiſſime

DN. PRÆSES,

Cæterique

JUDICII AULICI GOTTORF.

Aſſeſſores Graviſſimi.

QUam è veteri ævo memorant, miram ac rari exempli ſortem duorum adverſam, alterius *Caſſii Severi*, creberrimè Accuſatoris multorum, ſed ſemper causâ damnati; alterius *Catonis Porcii*, creberrimè Rei, ſed ſemper gloriosè abſoluti: ei non abſimile quid præſenti ævo extuliſſe videtur Conringiana mecum acta tum fabula *Injuriarum*, tùm ſeria ac ſancta in argumentis rerum *Cauſa*, utraque *Actoris* ſemper condemnati, *Rei* ubique gloriosè abſoluti. De ipsâ primùm principali Cauſa conſtat è plurimis Scripti mei Anti-Conringiani documentis, quàm prorſus perniciosè ac falsò Conringius in *Epiſt. Gratul.* S. Textum Hebræum anquiſierit *incertitudinis*, non ſolùm *alicujus* (ut quidem blandum adveniens principium dedit ſalutator), ſed & adeò enormis ejusdem ac *omnimodæ*, per Cappelliana X Argumenta ſubleſtiſſima, ut nec ipſi Pontificii aut Photiniani

tiniani, vel quivis alii jurati S. Scripturæ Originariæ hostes potuerint vel fraudulentiùs supplantare, vel atrociùs pessundare, unicè infallibilem Judicem dogmatum Theologicorum, unicéque ab se certam *Formam sanorum verborum* animæ æternam salutem attinentium. Tum quàm ne hoc quidem suffecerit Conringio; sed & insuper, (ut pessimos in eo Magistros Hebræomastigas, Cappellum, Waltonum, ac Vossium superaret), eundem S. Textum Hebræum prorsus ab Ecclesiæ usu removere conatus sit, partim assertione *solius VERSIONUM usus sufficientis, perpetuâ*, ut falsò ait, *Ecclesiæ consensione, semper & ubique*; nec *unquam in sacros usus adhibiti S. Codicis Hebræi* per immensum seculorum tractum: partim exæquatione *certitudinis, è Fonte vel Versionibus accipiendi sacrum sensum*, scil. *fide non nisi humanâ*, quæ *infallibilis* monstrosè fingitur; cum præclarô hoc corollario generali, ante ipsum inauditô, quod *Hinc nec à Presbyteris*, (an fortè igitur à Medicis, aut Politicis? aut planè nullis?) *Græca aut Hebræa peritia ampliùs exigenda sit:* & quæ alia innumera heterodoxa hisce periculosissimè innexa sunt, & immediatè consequuntur; quibo Conringio quasi pro *Falsitate Hebræâ* (eâq; abjiciendâ), uti mihi pro *Veritate eâdem* (constanter tenendâ), certamen susceptum est. Super hisce ergô, cùm me publici muneris religione Defensorem S. Hebrææ Veritatis,

tis, Conringiana *Vindicatio* Reum peregisset, multarum *imputationum falsarum & perversionum*, (licet eadem vel omnia vel pleraque negata & retractata Conringiana, in eâdem rursum *Vindicatione* æquè fortiter adstructa, & à me igitur refutata sint), meque simul ob justum Elenchum meum, tot maledictionum diris laceraſſet, ut propè convitiorum æstu totum Orbis theatrum incendisse visus sit. Non rectius igitur spiritum hunc efferum & Calcitronem Medici Hierophantæ, novi *Saulis inter Prophetas*, compesci posse arbitratus sum, quàm si præter plenam & districtam omnium ac singulorum disquisitionem, insuper ad Academias, Presbyteria, & privos Viros Doctos, provocarem, submisso ad eos Libello Appellatorio unà cum Anti-Conringianâ Apologiâ, rogatum eorum judicia. Nec destituit eam spem successu Divina Bonitas, pro cujus gloriâ & æternæ Veritatis honore Vindiciæ meæ susceptæ erant: sed factum est, ut omnium Censorum integerrimorum sententiis & votis, à Conringianis illis accusationibus, (non minùs ac suprà dictus *Cato Porcius* olim), gloriosè sim absolutus; & quidem octo jam Facultatum Theologicarum, trium Presbyteriorum, & decem aliorum in & extra Germaniam Celeberrimorum Virorum planè concordibus suffragiis, etiam multis adhuc certò promissis & expectatis; non minùs & quibusdam Sereniſſimis Capitibus Clemen-

mentissimè Veritati triumphanti faventibus, ceu inf. in *Heavtontimorumeno* § 38. est demonstratum. Simili ratione, cùm majori deinde imprudentiâ Conringius, eandem suam Vindicationem (jam antè nimis injuriosam), novâ aliâ obarmare injuriâ decrevisset, in Judicium spontè adducendo malam causam, ut bonam habere videretur; (quamvis potiùs angores conscientiæ ipsum Lupercali quasi œstrô agitârint, ad præveniendum aut subvertendum mihi publicum Orbis Eruditi Judicium): ibi iterum quid factum sit, omnium rectissimè ipsæmet Excellentia & Generosit. V.ræ norunt & meminisse queunt, me tacente. Quomodo nempe Literis blandis simul & minacibus primùm Academiam nostram, mox & Aulam Serenissimam solicitationibus crebris, quatere aggressus sit Conringius, ut Apologiam meam prohiberet publico; quámque demum Libello judiciali *Actionem Injuriarum* ex eodem meo justo elencho mihi conflare intenderit, idque tantis querelis & contra me gravaminibus, ac si ipsum probitatis, innocentiæ, ac modestiæ vivum germen, martyrii cujusdam laboraret experimentis. Quàm verò & deinceps reciprocatis coram Judicio Serenissimo utrinque Exceptionibus nostris ac Instantiis, valdè in angustum coactæ sint illæ copiæ Conringianæ, adeò ut semestri uno atque altero, modò tacuerit dejectus, modò ad armillum redierit Heros, consilii proprii

prii tàm ubique inops, quàm alieni consilii ubique prodigus; itidem obscurum esse nequit Excellentiæ & Generositi: Vr.is, quàm nudis modò verbis scenam iustruxerit operosam Conringius, sed in qua deinde nihil agi voluit. Siquidem repentè omni suâ causâ tàm *Injuriarum* quàm ipsâ *principali* planè desperatâ, Judicium illud Serenissimum, ab ipsômet delectum, & *ÆQUUM* laudatum, eò quod *ad duas Facultates Juridicas causam nostram transmittendam* decrevisset, leviter & illusoriè deseruit Conringius: & ne tamen *Actor injuriarum* sic desiisse videretur, typis publicatam *Actionem* suam ad Rhadamanthos Utopicos pone Bructerum ablegavit, ubi *nullam ferri sententiam publicam, licet injuriæ publicè sint factæ, nec ullum expectare Decretum licere, sed culpam omnem manere impunitam*, ex *Act. Inj. pag. 22*, sibimet ipse præcinuerat; ceu *inf.* § 14, pluribus constabit. Cùm ergò utrâque in causâ tàm fœdè ac miserè se dederit Conringius, in tantâ præsertim Orbis Eruditi expectatione, ut dubium sanè videatur, an unquam Vir tantus alius, minus metiri umbram suam didicerit, & hinc tàm ægrè ad *Errorem ineruditionis suæ* (ex præcepto *Eccles. c. 4*) *etiam cum rubore mutandum* potuerit induci, dum vel invitis oculis fulgor veritatis est insertus: Non potui quin submissâ & officiosâ hujus colophonis supremi Dedicatione, Perillustri Excell.æ ac Generositatibus Vr.is tùm hanc

causæ

causæ (meæ non magìs quàm ipsius DEI & Ecclesiæ Christianæ) justitiam humiliter approbarem; tùm hoc verò sigillatim Iisdem arbitrandum ac dignè animadvertendum submitterem, quod Conringius in publicatâ suâ nuper *Actione Injuriarum pag.* 27, expressè me non solum, sed & ipsum Judicium indignissimè habere non erubuerit his verbis, *TANTAM SCELERIBUS INDULGENTIAM CONCEDI, se miratum*; scil. *SCELERA improbissimarum contumeliarum* meo Anti-Conringiano *Volumini* & ejus *Indiculis* impingens, *ibid. INDULGENTIAM* verò hisce *concessam*, quibus? nisi quorum potestati subsunt mea: licet *Judicium æquum Summi Principis, quâ erga omnes nunquam satis laudatâ est benignitate, l. cit.* ultrò ex adversô fateatur homo quôvis Proteô versatilior suis contradictionibus. Dicit quidem, Se *ingressam viam noluisse deserere, cit. pag.* 24, impetrandæ scil. justitiæ, dum *in ipsius caput sit calumniatum, pag.* 20, *l. c*: Sed tamen reverà *deseruisse* nunc quam ingressus est *viam*, deprehenditur; dum semet *calumniarum* Reum & convictum ipse videt, aut ipsum certè Orbis Eruditus. In me quidem immerentem quæ jecit, tàm & numero multa, & pondere gravissima sunt, ut ad continuam eorum molem jam occalluerim, & planè religio mihi sit, quicquam Conringio non ignoscere; statuerimque imposterum etiam, (si & iterum redire paribus

ipsi

ipsi integrum fuerit), veluti vagientem infantē risu potius quàm scripto componere: postquam ut Zenonis rationes Diogenis ambulatio, sic Conringianas injurias ac heterodoxias nefandas, ipsa utrorumq; Scriptorum nostrorum satis diluit inspectio. Atq; ut hactenus, sic deinceps, si denuò voluerit, non quid ipsum deceat audire, sed quid me loqui, spectare certum est. Urbanatim ego hominem tetigi; rusticatim alius tangat, ut ille alios: non omnia conveniunt omnibus. Vos, Excellentissime & Generosissimi DOMINI, causam hanc sanctam ac gravem, inque illâ me Defensorem ejus (affectu certè erga eam pio ac sincero nemini secundum), Illustri gratiâ ac favore Vestrô, ceu hactenus, porrò complecti ne gravemini. Quos diutissimè publico Reipublicæ & Ecclesiæ bono, meo privato, incolumes & summâ rerum prosperitate florere, DEUM ex animo veneror,

Perilluſtris Vr.æ Excellentiæ,

Kilonī. d. 12 Augusti An. 1669.

ac Perstrenuarum Generosit. Vr.arum

Obsequentiss. Cliens

Matthias Wasmuth, S. Theol.
Ejusdemq; Extraord. Hebr. & Or: Ling. Ord. Prof.

Lectori Benevolo
Salutem.

§ 1.

QUod jam antè, Lector Benevole, in publicato meo Libello Appellatorio ad Pl. Rev. Collegia Theologica, mihi caveram de Conringio meo, ne scil. exemplô *Periclis olim à Thucydide prostrati, ille exsurgens iterum, negaret, se cecidisse, & contrarium persuaderet intuentes*; id non planè caruisse omine præsagium, ipsô opere & factô testatum nuper Orbi Erudito fecit Conringius. Quæris mi Lector, quô mirô ac singulari artificio? An fortè solidâ Responsione discutiendo mea ἐγκλήματα Anti-Conringiana? Non certè unicô χῷ aut μῦ Lucilianô: cùm nec potuerit per omnem suam Politicam. Quid ergò? Num agnoscendo & deprecando, desierit errorum & calumniarum? Ne hoc quidem. Quid igitur? Dicam. Audiverat de quodam, qui ingentia volumina, unô vegrandi verbô (præcipuè si majusculis scribatur) MENTIRIS, compendiosè refutaverat: miratus est hominis ingenium simul & fortitudinem, & hunc sibi imitandum proposuit, publicando contra me famosam ACTIONEM INJURIARUM, quâ *EMENTITA* esse omnia, *falsa*, *ficta*, *perversa*, *detorta*, imò (Latinismô Conringianô, *pag. 19. Act. Injur.*) *in ipsius caput esse ca-*

lumniata, ea quorum nomine ipsum reum peregi, tàm barbarè, quàm incredibili protervià, venditare ac nugari non erubuit. Ut vidi Scriptum, huc ad Amicos ipsius ante aliquot dies missum, diu multumque mecum alto defixus stupore hæsi, in *Alloquiô ejus ad Lectorem*, an tàm ineptam, futilem, & solœcismis fœdam scriptionem, à tali ac tanto Viro esse facilè crederem; an potiùs Typographus Helmstadiensis denuò ludos fecisset, ut cujus typis expressa permulta in Epist. Gratulatoriâ Conringii, ipse jamdudum pernegaverat sua esse, ceu constat è totâ *Vindicatione* Conringianâ, & mei *Anti-Conringi Cap. II, vid. & pag.* 42. Cùm adverti ex alterâ facie ejus Tituli, iisdem id esse munitum *PRIVILEGIIS*, quibus jam antè sueverat Conringius, pessimè abuti ad pernicioſos suos in Ep. Grat. errores, adque teterrimas calumnias & scurrilia convitia in Vindicatione suâ. Tùm eandem esse vidi *ACTIONEM INJURIARUM*, quam ante annum equidem in Serenissimo nostro Judicio Aulico Gottorfiensi, adversum me instituerat Actor injuriosus, sed oppositis tunc à me Libellis ita est confutatus, ut ad silentium redactus, non ultrà *administrationem justitiæ*, proprio nimirum metuens capiti, urgere cuperet; ceu pluribus jam recensui in Anti-Conringiô meô, *pag.* 520 *&* 521. Hanc jam ergò elumbem *Injuriarum Actionem*, quod publicis nunc etiam typis exscriptam, à Tribunali illô Serenissimô, (certô & delectô ipsimet Conringio, & ad ferendam sententiam paratô), ad vagum Utopicum *Orbis*, i. e. *Nullum* (ipsô Judice, *pag.* 23. *Act. Injur.*) *Judicium* retulerit Conringius; an imprudentis ipsius Jurisprudentiæ specimen sit, vel & versutæ ejus in pessimâ causâ pervicaciæ, vel utriusque potiùs simul evidens & infallibile documentum; è seqq: porrò mecum quivis prudens rerum arbiter æstimabit.

§ 2. Vi-

§ 2. Viderat nempe Conringius, (I) è totô *Cap. I. mei Anti-Conringi*, (nam hunc obtigisse ei, ante publicatam ipsius *Act. Inj.* fatetur, *p. 26*), me jam tùm falsissimæ ipsius & in fraudem confictæ criminationi, quasi *falsò allegatorum aut perversorum à me ipsius verborum Epist. Grat.* ita occurrisse, ut omnia & singula illa loca Epistolæ Grat: Conringianæ, denuò plenè & ἀψοφήτως allegata suis paginis, (harumque vel principio vel medio vel fine), adduxerim; & cum allegatis iisdem in Programmate meô collationem sic instituerim, ut prorsus eadem utrobiq;, mea & sua, vel syllabis iisdem & apicibus, vel certè sensu, (ob Programmatis modulum necessariò verbis contractiorem), nihil prorsus differente, ritè ubivis concordare, ipsa ἀψοφία clarissimè ostenderet, in cit. *Anti-Conring. à pag. 72, usque 83.* Adeò ut publicis Doctorum Judiciis, (quæ & à quinque Facultatibus Theologicis, tribus Presbyteriis, & pluribus Philologis Celeberrimis, eadem mecum se legere in Epist. Conringianâ clarè testatis, pro me impetravi, addita sub calcem Anti-Conringi), arbitranda *ibidem, pag. 83*, subjecerim seqq: Nunc ergò eat Conringius, & lapidi ingerat, non vivo ac „ videnti Lectori, vanas illas verborum phaleras, *pag. 74 Vindicat. Ego „ NIHIL ALIUD asserui, quàm quà variis laborat Lectionibus, integrum „ non esse Ebræum Codicem*: item, *Non omnibus Presbyteris necessariam „ esse Ling. Original. scientiam*: reliqua ipsi *mendaciis* & *falsis imputationibus „ nequissimè afficta & perversa esse*. Atque ampliùs *pag. 84. l. c.* ego vicissim rogaveram, quemvis honoratum Judicem, verbis illis Conringianis, *è Præf. Vindicat. pag. 5, 6*, ipsi perjugulum meritò redeuntibus; *Jubeatur* (*Wasmuthus*) nunc Conringi„ us, *ex ipsemet libro* (*meô*) suô, *legere illa quæ ibi doceri abs* (*me*) se, *non „ non verecundatus est* (*affirmare*) negare. *Et quidem per partes legere ju„ beatur singula. Si legere* (*non*) omninò *poterit, quod sanè factu ipsi erit „* (ἀδύνατον) δυνατώτατον, *jubeatur quæsò saltim agnoscere culpam, &* „ errorum suorum & in me calumniarum, *idque non minùs publicè, quàm*

„ *me, & Ecclesiam publicè læsit.* Quod ipsum & nunc denuò oratum volo quemvis honoratum Lectorem, (nam Conringi oculis aut candori dudum frustrà supplico), ut modò ipse evolvat Lector, & conferat, (meo periculo), omnia & singula illa Loca, *in Ep. Gr.* sic extantia, ut in meô *Program. & Anti-Conr.* à me citata sunt; & vel hinc consideret, quàm desperatam oporteat esse illam Conringi causam & conscientiam, quæ ipsum in horribiles adeò retractationis & negationis (contra clarissimam oculorum fidem) latebras compulerit, hominem magnâ sanè commiseratione in eô dignissimum.

§ 3. Illa ergò, inquam, licet publicata jam essent in Anti-Conr. meô, *l. cit.* visa etiam & lecta ipsi Conringio, fatente ipsômet in *Act. Inj. pag.* 26; (nisi quod *obiter* tantùm ea *inspexisse*, per præpotentia sua *negotia* causetur, *accuratiorem* verò *lustrationem ab alienis oculis*, certè parùm fidis, si non luscis, se habere ferat, *l. cit.*): nihilominus (quis credat?) non veritus est homo desperatè pervicax, in famosâ suâ *Act. Inj. pag.* 3, 4, 5, protervè illas denuò ingeminare nenias suas, *de instituendâ modò diligenti collatione Epistolæ Gratul. & Vindicationis suæ cum Programmate Wasmuthianô, & intelligi posse, quàm* JUSTIS DE CAUSIS *injuriarum Wasmuthum postulet: se NB proposita & exagitata*, (non ergò convitia ulla, ut quæ nec in eum jeci), *à Wasmuthô plurimarum Sycophantiarum & calumniarum jam postulasse: Idem* SE NUNC REPETERE, NEC MUTARE QUICQUAM; (ipsissimum sanè consilium meum, quod Conringio dederam in Anti-Conr: *pag.* 527, magnæ certè fidei in me argumentum, nisi potiùs desperatæ ipsius causæ, in quâ nec ab hoste spernat consilia); *se NB Contraria disertè in Ep. Grat. docuisse, idque coram hôc sacro Tribunali solenniter se iterum profiteri. Ac proinde humillimè orare & obsecrare Serenissimum Judicem, velit jube-*

jubere Waſmuthum, ut illa omnia & ſingula, quæ ipſi tribuerit Waſmuthus, depromat ex Epiſt. Grat. & legat in Judiciô; non poſſe autem ab ipsô præſtari, ſe certum eſſe. Et verò legit hodiè mecum totus Orbis Eruditus clarisſimè omnia & ſingula, loquentibus tot Doctorum publicis teſtimoniis. Imò nullus non Lector, cui modo non lemæ aut colocynthides in oculis, quin vel ipſi nunc ejus Clientes etiam inviti, expeditisſimè legunt omnia. Et tamen Conringius adhuc confidit, in ſui gratiam Lectorem etiam oculis ſuis indicturum, fidem non habere; ne legere ſe poſſe putet, quæ Conringius non vult legi. Sed ſi eâdem operâ, quod poſſet, Conringius negaret Solem lucere, an ob id Soli potiùs lucem quàm Conringio oculorum fidem faceremus dubiam? Certè

Danda eſt Collyri multò pars maxima, Hor. Sat. 3,

quando duo oculi & una mens tàm parum vident. Nam & non videns Conringius quæ ſunt, videre inſuper cœpit, quæ non ſunt, duplici cæcitatis ſpecie. In Programmate enim meô, *Mendacia Sycophantica, & Cretica, Nequitiam Sycoph. & Scurræ, calumnias nequiſſimas*, & nunc in Anti-Conringiô meô, *calumnias improbitatis Waſmuthianæ, Sycophantias, & SCELERA*, (*p.* 27, *&* 28, *Act. Injur.*) quæ nemo mortalium, ſolus tamen vidit perverſis oculis & profligatâ inverecundiâ Conringius; indéque Actionem Injuriarum inſtituens, (ſed ſine Jure & Judice), cum Argivô illô, videtur ſibi jam tùm,

- - - Miros audire Tragœdos
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro.

Sed rident profectò Camelum ſaltantem omnes prudentiores, mecumque Horatianum illud ei decernunt meritò,

Quid facias homini? Jubeas miſerum eſſe libenter,
Quatenus id facit - - Siquidem *ita verba jactare & nihil probare*

bare, teste August. *cont. Petil. c. 39, quid aliud est quàm delirare?*

§. 4. Viderat (II) Conringius, è toto *Cap. II. mei Anti-Conringi*, omnes illas in *Vindicatione* ipsius *fraudulentas technas, & elusiones Sophisticas, quibus pessima sua & toti Ecclesiæ pernicioſa asserta incrustare*, & justo Elencho meo subducere, imò hunc *calumniam* & *mendacia* falsò vociferari ausus fuerat, clarè *detectas* esse, fusè *discussas*, ac planè *protritas*; imò & sigillatim illas ipsius vanas exceptiones, quasi *non eô sensu, non eâ occasione, non eô ordine, non ἁπλῶς, &c.* ita scripserit, ut ipsum argueram, item quasi *à me quædam vel addita, vel omissa, vel aliàs detorta sint*, solidè & plenè me retudisse: quin & omnia ac singula ista mea rata esse habita à tot Facultatibus, Presbyteriis, & Viris tàm doctis quàm piis ac integerrimis. Nihilominus Conringius, profundissimô & invictô planè stupore, ad illam tot modis confossam & jugulatam planè Vindicationem suam, etiamnum audet provocare in *Act. Injur. pag.* 3, 4, 6, 8, 27, 28, quasi in illâ *omnia rectè adhuc liqueant, ac sæpiùs & liquidò sint demonstrata, eam probandis suis adhuc sufficere, & cuivis intelligenti satis esse.* Quin *DEUM testari*, impiâ Nominis Divini profanatione non veretur, *pag. 28. Act. Injur.* NB *Nihil eorum quæ Wasmuthus ipsi tribuit, vel in mentem ei venisse*; (cùm tamen non quid ipsi *in mentem venerit* sed quid Scripto ipsius, quid hoc *sentiat* & loquatur, hominis sit inquirere), *præter illa tria capita, quæ à pag. 5. usque* 10. *incit. Act. Injur.* recensetur. At verò etiam illa ipsa *tria capita*, (prout nempe in *Epist. Gratul. Conr.* clarè habentur, non ut in Vindicatione, & nunc in Actione Injur. *pag.* 5, 6, 7, *&c*: vel retractata, vel dolosè fucata & perversa sunt), evidentissimè erronea prorsus ac scandalosa revicta sunt in Anti-Conringio meo; (& quidem *primum illorum* de *imperitia Hebraica Presbyterorum*, in Anti-Conr:

à pag. 119 usque 145, *& à pag.* 468 *usque* 499; Secundum de *variis Lectionibus S. Cod. Ebræi*, ibid. *à pag.* 98 *usque* 101, *& à pag. 169 usque* 207, tùm totô *Paradoxô VII & VIII, in Cap. III*; Tertium *de* LXX *Interpretum Exemplaribus Hebræis, & perversione illorum locorum Script.* quibus illi *Medicis spem resurrectionis abdicarunt*, ibid. *à pag.* 227 *usque* 235): insuperque tot Doctissimorum Virorum suffragiis damnata ea omnia sunt; ut propè fidem hominis superet, quî tantus stupor & pervicacia queat esse Docti aliàs & prudentis Viri, ut illis omnibus meis siccô pede præteritis, quasi non visis, non lectis, non auditis, jactet; *Se modò repetere sua (è Vindicatione), nec mutare quicquam*, idque *suis probandis jam tum sufficere, & satis fore bono & intelligenti cuivis, pag.* 4, 9, 27, 28, *Act. Injur.* Nonne hic insignis est Laconismus refutandi? Sed & annetalem meritò ferit illud *Eccl. c.* 22. *v.* 8, *Narrat somnianti, qui narrat fatuo; nam in fine dicet, quid erat?* **Wens aus ist; was wars?** unde *vers.* 14 prohibetur *ibid. Ne multus sermo sit cum insipiente; nam* NON SENTIENS *spernet tua omnia.* Et rectè igitur August. *de C. D. Cap. I. Qui vel non possunt intelligere, quod dicitur, vel tàm* NB *duri sunt adversitate mentis, ut etiamsi intellexerint, non obediant; hi infatigabiliter vani sunt: quorum dicta contraria si toties velimus refellere, quoties illi obnixâ fronte statuerunt non curare quid dicant, dum contradicant, infinitum & ærumnosum foret.* Quin ipsemet Conringius, talem satisfaciendi modum tanquam stultum & ineptum rejicit, *in Tract. cont. Jes. Haunold. pag.* 47. ubi seipsum eâdem operâ flagellat h. v. *Quô Magistrô didicisti Christophore* (HERMANNE), *conclusiones negare intactis præmissis? Nisi vehementer fallor*, NB *non habuisti quod responderes; Ideóque maluisti tibi fugâ consulere. Est autem hoc Sophistarum quidem*, (NB Conringi proprium testimon.) *non autem eorum, qui veri rationem*,

ceu te decebat, &c. Et in *Resp. alt. ad Valer. Mag. pag. 9, 10*; idem Conringius quærit; *An hoc refutasse est*, NB *negare aliquod, intactis ejus probationibus? Hoc verò mi Valeriane*, (Conringi), *est FVCVM Lectori facere, vel nugari, si tuâ pace licet quod verum est profiteri.* Nescio igitur profectò, quid sibi tribuat noster verè *Kühnringius*, tàm audacter obluctans futili adeò ratione, quam in aliis extremè damnat. Certè fungos & stipites præ se habeat oportet omnes suos Lectores, quibus tàm suaviter os sublinere se posse confidit suis offuciis; quos verò non sine magnô rubore aspicere nunc poterit Conring. quamdiu hi ipsius Vindicationem aut Actionem Injuriarum.

§ 5. Viderat (III), Conringius *è toto Cap. III. mei Anti-Conr.* revicta à me esse singula & omnia illa ipsius Paradoxa XIV, tàm rationibus quàm autoritatibus, quod scandalosa, & toti Ecclesiæ summè pernicioſa sint, ac hæreticis faveant: eadem mecum unanimiter, nec minori Zelô, damnantibus tot Suffragatoribus, omni exceptione majoribus, ceu ad calcem Anti-Conr: videre est. Nihilominus Conringius in sua *Act. Injur.* ad illa tot argumenta rerum & autoritates nihil dum reponens, incredibili tamen proterviâ audet adhuc ab se jactare, *perpetuam Universæ Ecclesiæ, & seorsim Evangelicæ, eandem secum sententiam, l. cit. pag. 5, 6, 8, & 27:* & in *German. Epist. Ad Serenissimum nostrum Principem*; Wie Er nichts gelehret habe / damit nicht die Heilige Allgemeine Christliche Kirche von Anfang hero / und in specie die Evangelische / dan auch ins gemein ALLE GELAHRTE übereinstimmen. Conferantur nunc verò JUDICIA Doctorum, sub finem Anti-Conringi, & ostendatur Lectori os illud, quod & subjungere non erubescit *ibid.* Und dennoch solcher REJNEN (scil.) LEHRE halber / sey er von dem D. *Wasmuth* unerhörter Weise *calumniiret* worden. Jam ergò

censeo

cense Lector honorate, num quid addi posse putes, ad vanam & protervam hanc Conringi ampullarum jactationem, contra manifestam adeò oculorum fidem, ipsi jam factam in Anti-Conringio? Annon, si quis alius, (non æquè latens post principia magnæ famæ & doctrinæ), ita manifestò falsus ac vanus esset, hominem planè delirare diceres? Viderat jam enim Conringius, (cum ista sua publicaret), in meô *Anti-Conr.* passim, & speciatim *pag.* 199, amplius 40 Doctissimorum & ab his studiis clarissimorum Virorum autoritates pro me stantes, easque hodiè communi Suffragatorum Celeberrimorum consensu firmatas; ipsô Cappellô expressè adstitente, *quod vix hiscere contrà audeat*, *ibid*: Sed & tres aut 4 ipsius Doctores contrarios, scil. *Morinum*, *Cappellum*, *Is. Vossium*, & *Waltonum*, dudum tàm summorum Defensorum Hebrææ Veritatis numerô atque argumentis, quàm propriis subinde contradictionibus manifestis, planè esse confectos, profligatos, constrictos, & à Veritate ipsâ in triumphum ductos. Se ergò non nisi *istos*, atque *Pontificios* Doctores, (quamvis & hos ipsô sæpè hîc castiores, *l. c. p. 441*), & cum his *Syncretizantes* alicubi, D. *Calixtum*, *Hornejum*, & *Drejerum*, & *alicubi Photinianos*, habere adstipulatores, (& fortè insuper quosdam temerarios *plausores clandestinos*, qui tamen mutire jam non audent, quantumcunque sibi aliàs persuadeant ac indignentur), iisdemque vicissim pollicem se premere; ceu illa omnia fusè & dilucidè probavi in Anti-Conr: *à pag.* 183 *usque* 187; & *à pag.* 434 *usque* 443, & alibi passim. Quod enim Conringius etiam alicubi ad B. *Lutherum* ejusve *Successores*, vel ad Dn. D. *Glassium*, vel ad Cl. *Hottingerum*, imò (licet falsissimè) ad Cl. *Buxtorfium*, & *Schickardum*, &c. provocat, iis omnibus pleniissimè satisfactum vide in Anti-Conring: nostro, *à pag.* 194, *usque* & *p.* 204, 267, *usq.* 269, & alibi passim.

§. 6. Et verò si demus etiam, Conringium posse vel è proximè superioribus vel ex priscis seculis, (ceu gloriatur, von der Allgemeinen Christl. Kirche VON ANFANG HERO *l. cit.* & de *veteris Catholicæ Ecclesiæ consensu*, *pag.* 5, & 28, *Act. Inj.*), aliqua in rem suam arcessere, sive (1) pro *assertâ ipsi incertitudine aliquâ S. Codicis Hebræi*; sive (2) pro X *illis Argumentis suis Cappellianis, planè destruentibus integritatem & omnem certitudinem infallibilem S. Textus Originarij*; sive (3) pro suâ *non aliâ certitudine & fide, è S. Fonte Originariò, ac è Versione, quid accipiendi*, scil. *fide & certitudine non nisi humanâ*; sive (4) pro *sufficiente in Ecclesiæ usum, Versione accuratiore, & ab erroribus in quibus vis immuni* (Saubertianâ); quo minùs (5) *Græci aut Hebræi Codicis S. usus, in Eccl. aut Linguarum illarum peritia exigatur à Presbyteris* (indefinitè) *Ecclesiarum in Amplissimo Ducatu*; (hæc enim reverà totidem verbis, & plurima affinia, sunt minimè ficta Conringii asserta seu Paradoxa pessima, ceu *è Cap. I, II, & III, Anti-Conring. mei*, tàm clarè constat, ut Sol meridiem non illustret clariùs), si, inquam, vel maximè id posset Conringius: Responderam tamen jam tùm fusè in totô *Parad. Conr. XIII, Abhorrere potiùs debuisse tantum Polybistora, ab illa ignorantiæ barbarie & Ægyptijs tenebris illorum seculorum*, (nam prima tria secula, fervore charitatis potiùs & sanctis martyriis, quàm literarum studiis, inclyta, nec non quartum & quintum secul. quibus per Origenem & Hieron. instaurari cœpere S. Originarii Textus studia, eximi horum numerô, jam monui in *Anti-Conring. pag.* 480); quò minùs eorundem exempla, hodiernæ doctrinarum luci in invidiam citaret, vel in præjudicium commendaret: quid enim hoc aliud est manifestò, quàm barbariem illam priscorum seculorum reductum ire? cujus igitur meritò Conringium argueram in Programmate; quod ille verò

verò iniquisſimè *calumniam & Sycophantiam* criminatus eſt. An enimverò, quod cum multis ſeu *Catholicè (pag.* 28, *Act. Injur:)* erret Conringius, argumentum veri & recti habere debebat? quaſi minus erroris exiſtimetur eſſe in multis? Aut priſcorum autoritas pro veritate potiùs ſit, quàm veritas pro autoritate? Ut, quod Cicero olim in Cæſaris annum eſt cavillatus, *nunc ſtellam Lyræ veluti ex edicto oriri oporteat*? Hocne ergò poſtulabit Conringius, ut illorum judiciô ſtetur, qui ipſi in judicium ſunt vocandi? Nam ſanè, ut verum dicamus, *illa antiquitas ſeculi, juventus eſt mundi, & noſtra potiùs tempora ſunt antiquiora, cum mundus jam ſenuerit*, ceu doctè pluribus diſſerit Verulamius *de Augm. ſc. p.* 20, *& d. N. Org. l.* 1. *p.* 302, 303, *&* 593. Noſtra igitur, ut ætate ſic cultu & perfectione meliora, ad illam ruditatem veterum ſeculorum adhuc referre, & ex eâ æſtimare vel deprimere, nonne eſt à portu ad pelagus, à viâ ad ſylvam, redire? quæ inſipientis utique ſapientiæ conſultorum methodus eſt. Ne dicam longè diverſiſsimum ſtatum Eccleſiæ veteris & hodierni ævi, de quô vid. *Anti-Conr. p.* 484. Et ſic tamen Conringius, *ne deſereret ingreſſam viam*, (Latinitate Conringianâ, *pag.* 24 *Act. Injur:*) vanô & fictô ſuo *communi conſenſu univerſæ Eccleſiæ, etiam Evangelicæ, &* OMNIVM DOCTORVM, (exceptis excipiendis), *l. cit:* tùm *in univerſum omnium peritorum talium, pag.* 28, *Act. Injur.* ut falſisſimè ſe jactat; ita tumidè ſe inflat inſtar Ranæ Æſopicæ, ut vel ſolus unô halitu Politicô integras hîc contradicentium legiones diffiaturus videatur, quod usque dum faciat, *cùm ei* ſcilicet *viſum fuerit, pag.* 28, *Act. Injur.* (ad Calendas Græcas); opponit interea nunc frivolam & elumbem ACTIONEM INJURIARUM, & vel ſic ſtatim

Arma amens capit, & non ſat rationis in armis.

Donec horribiles illi *duo exigui Libelli, pag. 27 Act. Injur.* ab Heroe noſtro edendi, rem porrò omnem confecturi ſunt. Quorum verò ego, juxtà ac fulminis è pelvi, dudum ſecurus ſum; cum nec ipſummet adhuc credere, quod tale quid valeat, ultrò prodat dubius illis verbis, *ſi viſum fuerit operæ pretium, l. cit*: illæ enim S. Textus Hebræi controverſiæ, præ ſuis lucroſis clauſtralium membranarum, Politico iſti quaſi *umbra Aſini* ſunt, quam *in judicium adduci*, dubium *an operæ pretium ſit.* Interim tamen *operæ pretium erit*, nec ipſe gravabitur, ut convictus coram Erudito orbe, & facie Eccleſiæ, publicè clueat HEAVTONTIMORUMENOS HEBRÆO-MASTIX: quod & aufferet ſecum ex hôc Mundo nomen, ni maturè pœnituerit.

§ 7. Viderat (IV) Conringius, *è Cap. IV mei Anti-Conring.* oſtenſum à me eſſe evidentisſimè, quod *nulla planè ipſi injuria à me ſit facta*; neq; (α) *in genere*, dum ipſum *prior adortus ſum elencho Programmatico*, (dum & ille prior adortus peſſimè erat S. Codicem Hebræum, ſuâ Epiſtolâ Grat:) nec quod ulla à me, vel *amaræ bilis*, vel *falſarum affectionum aut perverſionum* culpa aut crimen ſit, *l. cit. à pag. 504, usque 510*: neque (β) *in ſpecie*, dum illas Conringi *novæ barbariei voces*, *apertæ hæreſeos* (generaliori vocis ſignificatu) *à B. Luthero, ſi viveret, damnandas crediderim*, (ceu verba ipſa mea habent, *pag. 46, Progr.* & approbata ſunt omnia *Judicÿs Dd.* ſub finem Anti-Conr: *pag. 28*), aut *Beſtÿs Germanicis à Lutherô tales olim annumeratos* dixerim, qui ita *graviſſimis præjudicÿs, ſterilem & rarum Linguæ S. cultum efficiant*, (*è pag. 13, Program:*) *in cit. Anti-Conring: à p. 511, usque 513*: Cùm cætera, in totô Programmate, Conringius, nomine (preſsô propriô) *Viri Clariſſ. Doctiſſ. Celeberr: Polyhiſtoris*, mihi ſemper veniat: ea verò quorum ipſum reum peregi, fusè omnia & ſolidè probârim; ut igitur reverà ſec. illud Aug.

Comm.

Comm. in Ps. 118, *Vera crimina objiciendo, nihil sim calumniatus.* Nihilominus Conringius etiamnum, in *Actione suâ pag.* 3, 6, 8, 10, *de atrocissimis ac intolerabilibus injuriis* queritur; & *pag.* 13, *in Literis ad Sereniss.* Daß Er von demselben (Waßmuth) ärger als bißhero von keinem einzigen Menschen *traduciret* und verleumbdet worden. & sic *pag.* 14, 15, 23, *&c:* Cùm tamen nihil nisi justum elenchum Ecclesiasticum, & quidem procacissimo Adversario debitè attemperatum, ceu probavi in *Anti-Conr. àp.* 31 *usque* 41, *& àp.* 505 *usque* 508), tàm Programma meum quàm Anti-Conr: apertè loquantur; nec aliter de utroque scriptô meô, vel unus quisquam Doctissimorum ac integerrimorum Censorum statuat: probante idem officium elencticum vel ipsâ Scripturâ divinâ, *Prov: 6. v. 3.* דֶּרֶךְ חַיִּים תּוֹכַחוֹת מוּסָר *castigatio eruditionis, via vitæ est.* Tùm, quod præprimis hic notandum, Conringius ipsemet clarissimè adfitetur, *pag.* 16, *Act. Injur:* se non nisi *de ipsâ principali controversiâ*, minimè de ullis aliis injuriis, mihi litem intendere, cùm disertè ait, *l. cit. Quod sanè supereſt injuriarum*, (scil. ut præcedit ibidem, *remotis controversiis præcipuis, seu capitalibus*), *non est tanti, ut propterea in forô mihi sit contendendum.* Quô quid dici clarius, aut innocentiæ hic meæ patrocinium præstari fortius potuerit, equidem non video. Ut certè vehementer mihi gratulandum sit, de tàm æquo Judice Conringio, etiam ultrò mihi suffragante, quod *non tanti* quicquam in ipsum admiserim, *ob quod in foro sit contendendum*; postquam de *controversiis illis præcipuis* seu *Capitalibus*, unanimis tot Doctorum suffragatio, pro me tulit sententiam & decisionem jam tùm fecit. Quorum ergò censuris justis & ἀδιαβλήτοις *omni reprehensione aut exceptione majoribus*, totque in Anti-Conr: meo invictiss. rerum insuper argumentis, quamdiu gravissimorum & prorsus exitialium to-

um toti Eccleſiæ, Conringius verè reus & convictus eſt & manet; nullâ profectò ratione vel ipſe ſe, vel clientum ejus aliquis, ἀνεπίκλητον *inculpabilem* ipſum præſtabit, nec ſerio ac gravi eximet elencho, quin ſimul Eccleſiam exarmet ſuâ elenctici officii tutelâ, & ſic nuda ejus latera impiè prorſus quibusvis objiciat hoſtibus.

§ 8. Nec ergò audiendi hic ſunt quidam intempeſtivæ pacis commendatores, qui, ſive præ magni Nominis ſtudiô, magnæ cauſæ momenta minùs expendant, ſive aliunde præoccupati ſint; nimis facilè & liberaliter admittere videntur, illas inſidioſas Conringi artes & fraudes abſcondendi graviſſimos ac pernicioſos errores, ſub fuco *liberioris fortè dictionis Oratoriæ, & contrariarum* gloſſarum (ſed textum proprium evertentium): quibus veruntamen omnibus audaciùs multò & periculoſiùs infeſtantur pomœria S. Theologiæ, quàm ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων *forma ſanorum verborum*, ullâ ratione permittit: nec igitur talia mitiorem inveniunt interpretationem ſeu benigniorem acceptionem, (cui aliàs nemo non piè doctus, ultrò longè libentiùs quàm ſeveriori correptioni indulgeret), quicquid hæc *moderaminis & ad manſuetudinem compoſitorum*, blandiatur nomine, & pulcrô quidem nitatur canone, (ad *Galat. c. 6, v. 1,*) ſed oppidò fallente applicatione ad aliam quàm debebat perſonam, locum, & tempus. In noxâ enim adeò manifeſtâ & convictâ, meritò prævalet omni illô Moderatiorum ſpecioſô apparatu, illud D. Pauli in Epiſt. *ad Tit. c. 2, verſ. 1,* Σὺ δὲ λάλει ἃ πρέπει ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam*; & *cap. 1, verſ. 9.* ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου *tenaciter obhærens fideli ſec. doctrinam ſermoni*: tùm & contravenientes ἔλεγχε μετὰ πάσης ἐπιταγῆς *increpa omni præcipiendi ſtudio, ad Titum 2, 15.* Quod ſanè non eſt, in

in *delicijs habere contentiones* aut *festinata certamina*; (ceu hodiè vulgò nimia *remissio & tepor*, piè quasi cavere & excusari amat); sed potiùs iis officii debitis partibus defungi, quibus reverà *pervertentes veritatem*, *severè & coram omnibus increpari* jubet ipse Spiritus S. *1. Tim. 5, 20*; & *Tit. c. 1, 13*; *quò & cæteri metuere discant*, *ibid.* Quinimò sanctissimè obtestatur *ibid. v. 21*, S. Apostolus, *coram DEO, & Domino JESU CHRISTO, & Electis Angelis*, *ut* hæc talia NB *custodiantur* χωρὶς προκρίματος *sine præjudicio*, μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόκλισιν NB *NIHIL in aliam partem declinando*: de quô sanè cum curâ dispicere, per conscientiã tenebantur omnes Theologiæ Doctores & Professores, (modò non ex his etiam proh dolor! cœpissent quidam pessimè Aristotelî suo & Philosophiæ magis vacare & plus tribuere, quàm S. Textus Originarii accuratiori scrutinio aut seriæ assertioni): quod certè si neglexerint ii, quorum res est, gravissimam aliquando DEO reddent rationem. Et rectè ergò doctiss. Verulamius tàm intempestivè lenes Doctores, & ad justi Elenchi usum horridulos, (aut eum ab aliquo Scepticô SI in re adeò manifestâ; adhuc suspendentes), increpat, in *præf. de Interpr: Nat. p. 271*, *Quod dum opinionibus & moribus consulatur*, *mediocritates illæ laudatæ*, *in magnum veritatis detrimentum cedant*, &c. cùm sanè nemo non perditissimorum hæreticorum, à talibus incrustandi artibus speciosis æquè paratus esse queat. Conferatur modò Confessio Catholica Gerhardi tota, & nuper PræAdamiticus ille Impostor, quilicet *pag.* 189, *multa in Pentateucho legi confusa*, *trunca*, *mutila*, *omissa*, item *pag.* 190 & 193, *Multa præposterа*, *contra rationem temporis scripta*, *invicem pugnantia*, clarè blasphemet: solenniter tamen protestatur, (sed factô contrariô), *se nihil imminutum velle de fide*, *quæ NB Sanctis codicibus præstanda sit*; quin potiùs, *pag.* 192, *quicquid*

in ijs paginis sacris, confusi, turbati, omissi, manci, mutili, diversi, alieni est, SPIRITVM S. NIHILOSECIVS *in illis degere scio*, ibid. O dolosè blasphemum os! Perpendant hæc & similia ubique obvia, moderatiores illi, veriùs *remissi & tepidi*, (qui cùm improbare mea, per omnem suum *teporem* nequeant, tamen omissum hoc à me mallent certamen), annon Alastora istum & gregales alios, eò dē pactò excusare possent, ac Conringiana illa XIV Paradoxa, vel eadem alicubi cum proximè superioribus, vel & multò pejora, licet simili tergiversatione pariter absconditа: (conferantur modò in Anti-Conr. *Paradoxa X & XI*, & aliàs passim): & statuant ergò ipsi, qui ad ejusmodi heterodoxa tàm fideliter tacent, (aut tacuisse me præoptant, ne tantus scilicet Heros impeteretur), si non consentiant ipsimet, annon saltem non negare eos certum sit. Quibus verò tandem eventurum, vehementer sanè vereor, quod laudatus antè Verulamius, in *Augment. Scient. l. 8. pag.* 213, verè & prudenter castigat *in quibusdam Consiliarijs ingeniò deriſoribus, qui periculi magnitudinem, ut* FORTES *videantur, semper extenuant, ijsque qui pericula, ut par est, ponderant, veluti timidis insultant; consilia, & præcautiones in longum prospicientes, velut somnia rejiciunt*; quod hi, inquam, *denique* FVNDAMENTA OMNIA *Regiminis Politici*, (sic illi moderatiores, *Theologo-hierarchici*), SIMVL LABEFACTENT, *&c*: cùm semper plus professis hostibus noceant simulati amici, sive è malitiâ, sive ex insciti à fallant. Et placeat sanè illud sanctum *pacis* & *tranquillitatis* nomen: sed an verò pacatior ob id Ecclesiæ status censebitur, ubi modò inoffensus permittitur gradus summè noxiis erroribus, quàm ubi hos coercendo, (argumentis tàm firmis & evidentibus, ut ad retractationis & negationis latibula miserrimè se proripere cogantur illi oppugnatores S. Hebrææ Veritatis, ceu vi-

vum

vum in Conringio habemus experimentum), sincera pax & securitas præstetur Ecclesiæ? Talis certè omissio elenchi Ecclesiastici in causa tanti momenti, non Ecclesiæ, sed Conringi & consortum pax atque tranquillitas est prorsus Syncretistica: qualis illa luporum cum ovibus, remotas cupientium canes præsidiarios; ceu hos jam tùm *Molossorum insciticæ, & rabiosorum canum*, flagellô abigere conatus est Conringius in Epist. Grat. pag. 107, 113.

§ 9. Quod verò & tritam illam, (minimè aliàs contemnendam), πρόφασιν attinet, quod *admonitionibus priùs privatis* agendum fuerit, *quò tutiùs licuisset lucrari fratrem, quàm publicâ reprehensione eundem exstimulare & ad contumaciam armare*, sec. illud ad *Galat. 6, 1*, So jemand mit einem Fehler übereilet wird/&c. Responderam jam *in Anti-Conr: pag. 505*, *Imò si intra meam & Conringi conscientiam solam, hæres stetissent, secretorum potuerat esse correctio, quæ nunc publicorum est correptio*, distinguente sic Chrysostomô. At verò *cernente pridem*, (in publ: scriptis Conringi & Promachorum), *totô Orbe fabulam, solus tacebo*? (verba sunt Bernhardi) *Caput undique quassatum est, & putaveris esse tegendum*? *Quicquid apposueris, cruentabitur magis, & major erit confusio, &c*: Tùm verò jam antè satis commonitus Conringius, tantum abest, *privatis dehortationibus* locum reliquerit, ut potiùs monitores suos, Viros sanè Reverendos & magnæ dignationis, *Molossos insciticæ, rabiosos canes*, ἱερογυναικὸν *genus, Deos cucurbitarios sibilo excipiendos, seditiosos Demagogos, quorum Zelus sit* SCELUS, calumniosissimè prosciderit in *Epist. Grat. pag.* 107, 113, 114, 131, &c. ut meritò igitur vel tandem Taciti illud, in Politicum adeò impolitum expetere debuerit; *Adversus tales, quorum superbiam NB frustrà per obsequium & modestiam effugeris*, BELLUM SUSCIPIENDUM

EST: tùm & illud Hippocratis *Sect. 1. Aphoris. 6, Ad extremos morbos, extrema exquisitè remedia optima:* tàm Medicô quàm Politicô justè adeò contra nostrum Medico-Politicum statuentibus. Ecquæ enim alia nunc superabat spes, convincendi in conscientiâ, & vel sic emendandi, inque viam reducendi longè latéque devii publicè Conringi, quàm publicus & suis rationibus firmiter constans Elenchus Ecclesiasticus? Nemo profectò nisi vel imperitus veri controversiæ status, vel Syncretisticè tepidus, quicquam hìc à me, vel in re ipsâ controversâ, vel ejus disceptandæ modô, peccatum esse dicet. Quin potiùs cum Zelô etiam approbari eò magis omnia mea, quò accuratiùs ea cum Conringianis omnibus componuntur, ipsa jam tot Eruditissimorum Censorum publica Suffragia in Anti-Conr. meo testantur. Et insuper verò illud quoq; feci in Programmate, quod desideratur; presô nim. Conringii nomine saltem hoc postulans, *ut ille* δευτέρας Φρενίδας σοφωτέρας (*posteriores cogitationes sapientiores*), *pro honore Nominis Divini, & Ejus Originalium Tabularum Fœderis, sic explicaret, ut NB* COMMODIUS *de ipsô sentire possemus, pag.* 28 *Program:* Cujus verò locô ille tunc opposuit *VINDICATIONEM suorum de S. Ebræo Codice dictorum*, rectiùs multò inscribendam, *FARRAGINEM convitiorum & calumniarum, Mephiticam exhalationem Orci, infestam S. Veritati Hebrææ & feralem chartam, plenam ruris & inficetiarum*, dignam, quæ in Mucii manu fieret Ἡφαίστου βορά. Hôc pactô nunc ergò Conringius, sec. illud *Eccles.* 27, 28, *Mittens lapidem in altum, super caput suum misit, & fodiens foveam, incidit in eam*: quodque Poëta ait;

Sic patitur telis vulnera facta suis:

adeò ut ipsi amici ejus nunc optent, Conringium nunquam in hunc campum descendisse. Quod ergò Conringius, olim

Vale-

Valeriano suo, *in Resp. Alt. p. 54*, ingessit, ipsimet nunc jure meritò occinere licet; *Quod Vir cætera intelligens & acutus, in hisce sacris adeò fœdè præter morem cespites, in ipso quasi meridie; non possum non arbitrari, fieri per singularem aliquam DEI indignationem, & quidem illam, quam NB provocasti perpetuò illò S. Scripturæ* (Originariæ) *contemptu. Urget te horribilis illa maledictio;* Peribit Sapientia de Sapientibus, & intelligentia Prudentum abscondetur: *Hæc illa est, quæ te facit NB apertis oculis nihil videre, auribus patulis nihil audire, & nullam quamvis NB gravissimam* Ἀπόδειξιν *in animum admittere.* Ita Conringius propriò se damnare cogitur calculò, quod ferre non potuerit, tangi saltem sua ulcera vel mitissimâ manu; nec judicari voluerit suum præjudicium, quasi id nulli subsit judicio: sec. vetus illud; *Pessimus quisque asperrimè patitur correptorem.* Ast *num verò*, (quod D. Titii, *è Castig. Erberm*, hùc meritò accommodem), *adeò delicatus, & tenerrimæ cutis erat* Conringius, *ut, si quis eum sævientem*, (ceu paulò sup. vid.) *aciculâ excipiat, aut oppositò digiti extremò retundat, mox strangulet inclusus dolor, & cor æstuet intus?* atque adeò Vir prudens statim sic *rapiat animam suam in furore suò, Job. cap. 18, v. 4?* etiamsi modò leviter aliquid aceti & salis asperserim ipsius crudè dictis, (imò exitialibus Paradoxis), quod semet *Haunoldo suo* feciisse, Conringius ultrò *officii sui* gloriam amplectitur, *in Præfat. ejus Animad.*

§. 10. Atque hìc quidem excipiendi etiam pro meritò simul forent, quidam clandestini sive plausores sive Scepticì Conringiani, in gratiam ejus lippientes oculis, multò magìs ingeniò; qui licet contradici mihi ex verò nihil posse, saltem silentiò suò fateri coguntur; nihilominus more Pyrrhoniò adhuc malunt, in dubiæ quasi veritatis expectatione, quàm

demonstratæ jam evidentiâ, acquiescere; adeò in eô *umbratiles*, ut Seneca loquitur, *ut putent in turbido esse, quicquid in luce est*; atque suspensum ipsimet habentes animum suâ quâdam doctâ ignorantiâ, aliis quoque similes cupiunt fixas cruces: quasi adhuc aliter fortè cadere possit hæc alea Anti-Cappello-Waltono-Conringiana, imprimis illa de *Integritate absoluta* S. Cod. Hebræi, ejusque *Accentuum divinâ Authentiâ* ac *Ministeriô sensus*, (nequaquam, ut quidam volunt, *ADHUC INEXTRICABILI*, fatentibus quotquot oculos fumô, & mentem præjudiciis, vacuam habent), aut velut *non semper verior aut doctior sit sententia, quæ tutior.* Quali possibilium aut non probabilium picturâ, velut in antrô quôdam Platonicô, sua prolectant somnia illi Endymiones. Verùm iisdem jam tùm occurri in Anti-Conringio, (idemque nunc iterum solenniter ingemino); quod, *quoad ipsi aut Conringius, non valuerint refutare illa mea* sive *Accentuatoria*, sive *Vindiciarum*, aut *Anti-Conringiana, nec falsa ea revincere potuerint NB argumentis*, (comparando rem cum re, rationem cum ratione, exempla cum exemplis); *& nihilominus vel obluctari pervicaciter demonstratæ veritati, vel sceptico naso eam adhuc suspendere non destiterint*; quod, inquam, tamdiu eos publicè declarem meritô, veluti *voluntariæ errandi insaniæ*, (in tàm momentosâ caùsâ sacrâ), *& manifestæ malitiæ reos, ingq; conscientiâ* planè *convictos*. Nec ob id verò desinam, Dei donum, (circa S. Textus Originarii Hebr. asserta, tùm essentialia *Accentuũ*, tùm requisita *integritatis & necessariÿ usus*), ab hominum impotentiâ & neglectu vindicare, taliumq; contemptores veluti *planè impios & profanos* publicâ voce & propè digitô monstrare. Imò quò quisque pervicacior fuerit in præconceptis suis & nimiò inveteratis opinionibus, hôc magìs eum in ipsis Rudimentis experiar atque deponam, quò intel-

intelligat se tirociniis priùs subigendum, quàm interiora harum rerum à me aut aliis hîc publicata, ex merâ præjudicii libidine, aut Dictatoriâ persuasione, temerare præsumat: cùm utique permultum interfit Sacræ Veritatis, ne locum ejus occupet falsitas aut error noxius, neve Sceptica illa ἀπορεψία, quâ *aliquid esse, & non esse, neq; non esse*, aut *verum quidem in rebus esse, at percipi non posse*, è vetere Academiâ nova redeant deliria. Aut si verò iterum quis Sinnius Capito, ne his quidem omnibus cessurus, suetâ obnitendi pertinaciâ, *Sic velit, & jubeat, sit pro ratione voluntas:* Incipiam & ego altrinsecus cum imperio esse, publicéque edicam; *NON PLACET; VETO: REIPVBLICÆ LITERARIÆ ET ECCLESIÆ DAMNO EST.* Et sic publicè experiemur invicem, utris Edictis pondus majus addituræ sint invictæ rationes: quod sibi dictum tollent memores, illi inconsulti horũ temeratores, tàm nefarii quàm desperatò pervicaces.

§ 11. Viderat (V) Conringius, *è Cap. V. mei Anti-Conringi, se potiùs injuriosissimum in me extitisse*, tùm *convitijs scurrilibus* & infamibus probris, tùm *falsissimis imputationibus perversarum aut affictarum ipsi opinionum*, &c. ceu probavi, *l. cit. à pag. 514 usque 523.* Nihilominus de omnibus illis in me injuriis, passim adhuc quasi re benè gestâ, gloriatur Conringius, & sec. illud *Jes. c. 3*, Rühmet sich seiner Sünde / wie die zu Sodom / his verbis quod *Sycophantiarum & calumniarum Wasmuthum postulaverit; idem se repetere, nec mutare quicquam, pag. 4, Act. Injur.* Er sey erpötig / alles und jedes NB uberflüßig / (scilicet unô *mendacij* coccysmô) zu beweisen / was auch nur D. Wasmuth wird begehren / erwiesen zu haben / *pag. 15.* Item *pag. 27 ibid.* etiamnum Apologiæ meæ injuriosissimè impingit *SCELERA indulta*, & *pag. 28*, adhuc bis vocat *Sycophantam*; & *pag. 23*, *Calumniatorem:* in convitiis adeò robur omne ponens, qui in causâ nihil invenit

præ-

præsidii; ceu ipsemet *malæ causæ indicium certissimum*, *convitia* statuit, in *Resp. Alt. ad Val. M. p.* 29: & *in Exam. it. Vind. pro J. C. R. R. p.* 6. Sed cùm verò toties jam Conringio caverim, ut desineret vel tandem convitiorum suorum scurrilium; eique seriò interminatus fuerim, me non usque passurum, si ingeminaturus denuò sit infamem ictum, in *Anti-Conr. pag.* 511, & 521; & in *Libellô meô exceptoriô*, *inf. subjectô*: ille verò nec dum horum quicquam curaverit, ut potiùs spurium *Retorsionis* nomen, (ubi nulla à me torsio talis prior), suæ obtenderit malitiæ: nunc ergò ultimâ vice ipsi severè edico denuò, si redierit vel semel adhuc paribus convitiis, *Nequitiæ*, *Scelerum*, *Sycophantæ*, *Scurræ*, *Cretis mendacis*, & similium, (vid. *p.* 4, *Anti-Conr:*) me certò non solùm ad ultrices flammas famosæ ejusmodi scriptionis acturum, sed & super eâ invocaturum Leges illas Imperiales, quæ probrosis & infamibus ejusmodi calumniis ac convitiis, quam sanxerint pœnam gravissimam, tunc nominatim expressurus, & contra Conringium rogaturus sum; siquidem omninò ita volet, hâc etiam ignominiâ adhuc canos suos conspergi; (cujus culpam non mihi tunc sed sibimet imputabit, qui nullus curârit cautiones): quò vel tandē propudiosum illud convitiandi probrū ac scandalum severè coerceatur; cùm *publicè interfit Ecclesiæ*, *& commodi literarij*, *& Juris ordo*, *ac Academiarum salus exigat*, *ne detur licentia*, *multò minùs publica*, *calumnijs & sacris quidem*, ipsômet Conringiô *in Vind. p.* 5, Judice simul & Reô gravissimô; ceu patet è totô *Anti-Conringio*, imprimis *pag.* 4, 20, 21, 165, 166, *&c.* Quin & in ipsâ *Actione Injuriarum* eandem denuò ipsemet fert sententiam, *pag.* 21, h. v. *Saltim ad illas itaque Injurias*, (*atrocium calumniarum*), *NON EST FAS CONNIVERE*; *& id NB qui neglexerint*, *sentient aliquando justam Sanctissimi Judicis animadversionem.* Notet igitur propria sua Conringius, & caveat vel tandem malo. §. 12.

§. 12. Illa jam ergò recensita *V. Capita è totô Anti-Conringiô*, (publicatô, visô, ac lectô Conringio, ante editam ipsius *Act. Injur*: ipsômet testante, *p. 26. ejusdem*); constabant eidem tàm clarè ac evidenter, ac si ipsis Solis radiis sint scripta omnia: conscientia quoque & vel sensus communis homini dictabat, agnoscenda & deprecanda ipsi (è lege Christianismi) esse tot ac tanta atrocium errorum ac injuriarum delicta publica in Ecclesiam & memet; aut certè silentii perpetui saltem mitissimâ pœnitentiâ ipsi luenda fuisse omnia. Quin & ipse ultrò jam obstrinxerat fidem, *in Dedic. Vindic.* Se *Academiæ hujus Kilonienſis judiciô stare & cadere certum*; & in *Lit. ad Acad. nostram*, Se *paratum esse, suôpte etiam calculô damnare, si quid justè à calumniatore*, (sic loquitur homo contradictorius), *fuerit reprehensum*; & verò *justè* me *reprehendisse* illa omnia, non una sed plures Academiæ, unanimi suffragatione testatæ erant; ne unica autem, imò nemo sanus, quicquam contrarii hactenus asseruerat aut probaverat. Unde ego, *ad eximendam tandem Divino Judicio conscientiam Conringi*, autor ipsi seriò fueram in *Anti Conr. p. 525, 526; Daret Deo honorem, agnosceret suos errores, sua scandala convitiorum, & justè à me reprehensa*: cùm *multò melius sit*, docente Hieronymo, *simpliciter inscitiam confiteri, quàm ejusdem alios hæredes facere. Sic Ecclesiæ, Deo, & Angelis, ipsum daturum gaudium, & hunc tamen in ipsô laudandum fore candorem ac pietatem; cum aliàs de pervicace ipsô, aliquando Dei ipsius vox, quæ nunc Ecclesiæ, certò sit futura, imminente jam tùm super caput fatô*, &c. Sed quid demum ad illa omnia Conringius? Inauditô planè exemplô, velut lymphatus, & rationis expers omnis, REPETIT PRIORA, NEC MVTAT QVICQVAM; (sec: illud Hebr:

צפור יזמר זמירו סרטן יזל הליכו ומפש ישתאר באולתו *Avis cantat cantum suum, & cancer abit gressum suum, & insipiens manet in stultitiâ suâ*): quodque nemo prudens expectaverat, subitò erumpit in orbem literatum famosâ suâ *Actione Injuriarum*, lacrymosô non sine fumô, tentans Lectoris oculos & mentem pariter præstringere, ac ipsum pridem desperatissimæ causæ fascinat conscientia. Atq; ita mansit *Actor Injuriarum*, qui ipsemet verò antè *injuriosissimè agens* toti pridem cluet Orbi Christiano, idque non unâ ratione.

§ 13. Nam (1) *Injuriosum* convici hunc *Actorem Injuriarum*, in *Deum ipsum*: dum impiâ & profanâ elusione, Præceptum illud Divinum, *de non ulciscendo propriâ vindictâ, cum DEI sit ultio, ipse velit retribuere*, simul pro se allegat in *Vindicatione suâ, pag.* 73, & simul tamen manifestâ violatione transgreditur, in eâdem adeò horribiliter ultrice *Vindicatione*. Imò quod planè stupendum est, ornando insuper tàm atroci delicto, blasphemè prætendit *ibid.* exemplum *præeuntis* quasi *mansuetissimi Salvatoris*, de quô *vid. Anti-Conr. p.* 15, (2) *Injuriosum* probavi eundem in *verbum DEI Originarium*; dum ei non solùm primò *aliquam*, sed & mox X *argumentis* (tàm falsis quàm impiis), omnem *incertitudinem infallibilem* planè abrogat: tùm & *neglectum usum S. Cod. Originarij in Ecclesiâ, & imperitiam ejus Presbyterialem*, syncretisticè commendat, ceu fusiss. probatum dedi in Anti-Conr: *totô Cap. III.* (3) In *Ecclesiam nostram Lutheranam*, non minùs ostendi *injuriosum Actorem*, dum eam prorsus calumniosè infamavit, quasi *JAM TVM agatur hoc MYSTERIVM INSCITIÆ, quo ETIAM APVD NOS iisdem passibus, quibus in Rom. Ecclesiâ ad Latinæ vulgatæ authentiam est ascensum, fiat progressus ad vernaculæ versionis B. Lutheri* ἀναμαρτησίαν

ciari tandem aliquando TYRANNICA INSCITIÆ FACTIONE *stabiliendam; coerceri duntaxat quorundam sapientiorum*, (Conringi sine dubio & Syncretistarum) *repagulis, ne ex libidine grassetur*, &c. &c. *in Epist. Grat. pag.* 77, 84, 85, 86. Quod verò totum falsiss. ac injuriosissimum revici in Anti-Conr. *pag.* 22, 23, 24, 25: quodque ipse potiùs Conringius, talem *Tyrannicam inscitiæ factionem Papisticam* moliatur, tali inter nos novâ Versione (Saubertianâ) venditatâ, quæ *IN QVIBVSVIS AB ERRORIBVS IMMVNEM possit præstare*, adeóque *in* OMNI *vitâ humanâ possit sufficere, etiam Presbyteris, & NB* ECCLESIASTICIS DOCTORIBVS *processuris in aciem, ad bella Domini* SERIO *depugnanda, ad redarguendos contradicentes*: & illis ergò *istam novam Versionem Sauberti esse propemodum* NECESSARIAM, quod nusquam de S. Codice Hebræo dixit, aut permisit, vid. Anti-Conr. *pag.* 26, & 480, 488: quod verissimè Dnn: Theologi Gryphisvvaldenses vocarunt, PAPAM LVTHERANUM *nobis obtrudere*, in suô Suffragiô, sub finem *Anti-Conr: pag.* 25.

§. 14. (4) *Injuriosus* pariter manifestò est *Actor Injuriarũ*, in *Serenissimum nostrum* Judicium Aulicum Gottorfiense: quod quidem ipsemet sibi delectũ imploraverat, institutâ coram eô Actione illâ Injuriarum, in qua primò versutè *p.* 14, Saget hertzlichen Danck/ daß Ihre Hoch Fürstl. Durchl. seiner demüthigsten Bitte gnädigst deferiret: & pag. 16, Ich erfrewe mich/ daß Ew. Hoch-Fürstl. Durchl. gnädigst entschlossen/ NB durch ein unparteyisch Gericht das gantze Werck untersuchen und dijudiciren zu lassen. Der Allerhöchste vergelte diese Hoch Fürstliche Wolthat/ &c. & pag. 24, laudat & agnoscit meritò illud *Æquum Judicium Summi Principis, dum quâ est erga omnes nunquam satis laudatâ benignitate, Actionem illam Injuriarum, NB* PER DUO ERUDITORUM COLLEGIA *definiendam suscepit*. At nihilominus Conringius, idem

Judicium Serenisſimum ſine causâ deſerens, iniquisſimè id eluſit, quando jam ipſe in rem transferre compromiſſum ſuum debebat, (reciprocatisjam bis utrinque libellis); & verò propriâ dudum damnatus conſcientiâ nequaquam audere poterat, ſententiæ tandem à Judice ferendæ, finali ſe ſubmittere ſcripto: Sed non ſolùm plus trimeſtri tunc tacuit, magis mutus quàm piſcis; verùm & planè tandem *ingreſſam viam deſeruit* (Latinitate Conringianâ, *pag.* 24 *Act. Inj.*) deſiitq; coram certo Judice Actionem ſuam proſequi. Quô pactô tamen ne obmutuiſſe prorſus in Judicio videretur; *Actione* eâdem typis publicatâ, cœpit cum Philoſophô illô *Mundanô Incolâ*, fieri *Mundanus Actor Injuriarum*, vagum Judicem pone Utopiam quærens, quem nullum invenire dudum geſtiebat, ipsômet agnoſcente, *p.* 23 *Act. Injur.* his v. *Sic ORBE, hoc eſt, NULLO Judice, lites agitantur, &c.* Sed & huic tàm manifeſtæ eluſioni Judicii quærendus erat color aliquis, ne pelluceret vafrities cauteriatæ conſcientiæ. Igitur *pag.* 25 *Act. Injur.* ait; *Ne quid tamen diſſimulem, hæc Reſponſo* (ultimo Sereniſſ.) *inſerta verba, non parum me turbavêre*, (NB Cauſa turbati Conringi); Und ſtehet zu ewern Belieben / ob Ihr Inhalts Unſer am 10. *Februarii* Gerichtlich gemachten Veranlaſſung (ſcil. mittendorum Actorum ad duo Collegia Juridica), ſo weit es den *punctum Injuriarum*, (nam de his actionem intenderat Conr:) betrifft / (denn die Haupt *Controverſien* wir dahin verſtellet ſeyn laſſen) / NB weiter darauff handeln wollet. Id quod utiq; debuiſſet Conringius, niſi vehementer ipſum *turbaſſet*, (ut jam faſſus eſt), formidanda illa Judicis ſententia, Innhalts der am 10. Febr. gemachten Gerichtlichen Veranlaſſung / de quâ verò jam ſponderat Conringius, h. v. Ich werde ferner Dero gnädigſten Verordnung in geziemender Unterthänigkeit / nach beſten Vermögen mich

zu

zu befleissigen nicht unterlassen / *pag.* 16, *Act. Injuriar.* Ast nunc verò dubitationem sibi hîc natam tricatur, *ibid. pag.* 25, 26, an non voce der Haupt-*Controversien, venirent etiam ipsius* (Conringi,) *fusæ querelæ de Wasmuthi perversionibus & reprehensionibus suarum assertionum; in quibus controversiis potissimis verò præcipuè versetur sua Actio.* At si reverà hîc dubitavit Conringius, (in re minimè dubiosâ), an adeò non impetrabilis erat explicatio Serenissimæ mentis, ut ita à certô laudatissimô Judice ad incertum Utopicum, in causa tanti momenti leviter adeò resiliret? Scilicet *inquirere in illam mentem Serenissimi intempestivum* duxit tempestivus Actor Injuriarum, *l. cit. p.* 26. Et quare verò, Summe Politice? Nimirum, *quod sub prælo Kilonensi jam versaretur novum Wasmuthianum volumen, ibid.* Ergò verò? cur non potiùs ob baculum in angulô stantem? Itane enim Actionem tuam Injuriarum in Judicio prosequi non poteras, nisi Apologia mea publico prohiberetur? de quô unô tàm anxiè laborasti, velut præsentissimâ tuâ internecione. Sed video; *Non potuit non videri mihi,* (quia scil. tàm malè vides quàm audis, vid. *Anti-Conr. p.* 497, & 508,), *remotione illarum controversiarum præcipuarum, etiam reliquorum judicium negatum esse, l. cit. pag.* 26. Bellè! præclarè! hoc volebam; ipsum Conringium agnoscere & fateri, quod non Judex Serenissimus, sed ipsemet sibi in conscientiâ abdicârit seu negârit *Judicium*, ultra illud *præcipuarum controversiarum*; & quod igitur ipsômet teste, præter *controversias præcipuas*, (in quibus verò nullam à me injuriam esse, Suffragia tot Facultatum & Dd. luculenta mihi attestantur), nullum reliquorum sit judicium, cùm reliquæ nullæ sint injuriæ, nulla convitia, nihil in judicium veniens, nulla Actio: ceu & ampliùs ipsemet subjungit Conringius, *l. cit:* *Quod sanè superest injuriarum*, (scil. à remotio-

ne *præcipuarum controversiarum*, ut suprà), *non est tanti, ut propterea in foro mihi sit contendendum.* Sententiam propriam dixisti Conringi: res omnis perorata est; Actore meô gloriosè me absolvente ab omni Actione suâ Injuriarum. Reliquæ verò *ibid.* nugæ ad paleas pertinent: nisi quod atrocissima illa calumnia Conringi, in Judicium simul Sereniss: & memet, quod *SCELERIBVS indulgentia sit concessa*, (de *Apologeticô meô pag.* 27, *Act. Injur.*) publicam Lictoris flammam mereatur; quam & posthac in talia rogaturus sum à competente Judice, si iis vel semel adhuc redierit Conringius, quem hic ultimò cavere jubeo malo. Antequam verò tandem hinc abeam, necesse est in gratiam Causidicorum & Rabularum, singularia adhuc quædam Conringi Strategemata forensia breviter enarrem; de quibus sanè argutis mysteriis, Magistro huic Politico-Medico non minimam partem bursæ hydropicæ debituri sint, qui modò ritè imitari queant. Nimirum qui compendiosè posthac Actionem Injuriarum evincere citiùs, quàm instituere, aut prosequi volet; is Magni Jurisprudentis Conringi exemplô, (1) *Officium Judicis imploret simul, & occupet.* Fecit utrumque Conringius sæpiùs, in sua *Vindicatione & Libellô Delatorio*, reum me peragendo simul, & velut jam *convictum Calumniatorem & Scurram mendacissimum*, condemnando, ante imò contra omnem Judicum sententiam. (2) *Accuset simul Reum, & rejici eum petat à limine Judicii.* Fecit utrumque Conringius, in posterioribus *Literis ad Sereniss. Nost.* inf. adjectis § 19. (3) *Accuset Rei contumaciam quasi detrectantis responsionem, & simul alleget sibi Copiam factam dati ejus Responsi.* Fecit pariter utrumq; Conringius, *loc. cit.* (4) *Actionem Injuriarum instituat simul, & RETORSISSE semet fortiter, glorietur.* Fecit item Conringius, in *prioribus Lit. ad Sereniss.* h. v. Ich gestehe

stehe NB gar gern/daß einer starcken *Retorsion** Ich mich gebrauchet; & tamen mox; Ich übergebe jetzo beyliegend *in duplo* einen kurtzen *libell, &c.* Auditum admissi, risum--. Sed vos discite, quicquid uspiam Rabularum est, à Magno Politico Conringio, arcana forensia, nunquam aliàs audita, nec exemplo comperta priùs.

§. 15. (5) *Injuriosus* manifestò est *Actor Injuriarum* in honoratum quemlibet Lectorem: dum eum adeò bardum, bliteum, stipitem, ac fungum sibi finxit Conringius, qui manifestò pernicioſis ac scandalosis ipsius assertionibus, hæreticis sæpè faventibus, seriò ac justò Zelò non indignaturus sit, nec fraudulentas ipsius elusiones, & vaferrimas technas incrustandi sua heterodoxa, subolere facilè possit: adeò ut rogare etiam Conringius, & sibi promittere de Lectore non erubescat, *velit Lector favere, ceu hactenus* (quod verò *hactenus* nemo fateri publicè sustinet), *ipsius veritati & innocentiæ, pag.* 28 *Act. Injur:* egregiò sanè palpò sibi ipsi blandiens, qui dudum scire poterat, *Lectorem* potiùs falsitati ipsius nocentissimæ prorsus infensissimum esse, minimè verò *Fautorem* existere posse. Et cur enim Vulpecula aliàs rogat, *ABJICI* (à Lectore) *sua pariter & Wasmuthiana; nec enim esse, ut hisce quidem, nisi soli illi quibus OTII aliquid supereſt à negotiis animum adjiciant, pag.* 72 *Vindic:* si Lectorem Veritati & innocentiæ suæ favere posse in re tanti momenti confidit? Nonne sic manifestò Lectorem æquè ac me, ludificatur homo versipellis? (6) *Injuriosus* denique est *Actor Injuriarum, in Partem Adversam:* tùm (α) *Memet*; quem non satis erat, tot jam infamibus & atrocissimis convitiis Cyclopicâ quâdam feritate proscidisse in *Vindicatione*, ut

* In impressâ nuper hâc suâ Epistolâ Conringius adjecit voculam ETWAS: Ich gestehe gar gerne/ das einer ETWAS starcken retorsion Ich mich gebrauchet. Quàm nunc cuperet autem, illud etwas nihil esse! nec etwas *fortè* hìc fuisse!

ut sup. dictum, & *pag.* 4. *Anti-Conr.* fusè allegatum est); sed & denuò in suâ *Actione Injur:* Programma meum sæpiùs vocat *famosum libellum*; apertè prodens, quàm imperitus sit Jurisperitus, qui necdum famosi libelli requisita noverit, eô nomine traducens scriptum, in quô nullum prorsus famosi libelli extat vestigium. Longè veriùs autem in ipsam Conringi *Vindicationem* id elogii competit, quæ non solùm *famosa*, sed & putida scriptio est, meram sentinam olens, ac plebejô imò rusticô stilô conscripta, quæ fœtore suô vel ferreæ naris robur expugnet: nec minùs nunc in *Actionem* ipsius *Injuriarum*; quæ SCELERIBVS *indulgentiam concessam*, Apologetico meo impingit prorsus injuriosissimè, *pag.* 27. Et sanè si super hoc capite, ut & aliâ quasi Falsarii criminatione falsissimâ Conringi, in *Literis suis ad Celeberr: Dn. Ravium, Helmest. d.* 13 *Decembr. An.* 1668. *datis*, (quibus me traducit) *Ravianas Literas ad se, â Wasmutho hoste suo esse* SPARSAS PASSIM, TANQUAM *à Clar. Ravio* SCRIPTAS; *easdem* RAVII NOMINE CIRCUMFERRI: *in Wasmuthi animo omnia esse nigerrima; ne igitur crederet temere* (Ravius) *Wasmutho, tot NB Calumniarum & mendaciorum à se* CONVICTO): si, inquam, super his & similibus, tàm innocenter & calumniosè ponè tergum in me sparsis, ad Legalem vindictam agere vellem, ut merentur; quid foret de famâ & existimatione Conringi? Nonne honesti nominis naufragium facturus manifestò videtur? Verùm miseret me nimiùm hominis, tot votis & Suffragiis tantorum Censorum jamtùm condemnatissimi. Tùm quod denique de RUDITATE *Wasmuthi*, tàm ruditer quàm obtrectatoriè fabulatur idem *in Act. Injur. pag.* 15, bis; *& pag.* 10; ejus experimentum simul & responsum quæsò consulat Lector inferiùs § 24, & in *Anti-Conr. pag.* 500, 501. Tùm (β) In *Suffragatores meos*, Viros undequa-

dequaque laudatissimos ac celeberrimos, pariter *injuriosus* est *Actor Injuriarum*, obtrectatoriè nugando, *pag.* 27 *Act. Injur*: *Eos non debitâ curâ Vindicationem suam & Epistolam Gratulatoriam perlegisse: sed passos esse sibi imponi ab famosâ & plenâ calumniarum Epistola illâ, quàm ineptè Adversarius Libellum Appellatorium nuncupârit.* Sed si Conringius voluisset, ut Vir honestus, verbis suis fidem & veritatem adstruere; saltem minimam adjecisset rationis speciem, in quônam illa *non debita cura* consistat aut demonstrari possit de meis Dnis Suffragatoribus, in quânam re ipsis *imposuerit Epistola mea Appellatoria*; ubi ea sit *famosa*; ubi *calumniarum plena*, ubi *inepta*, argui aut revinci possit. *Horum verò* Conringius *agit* NIHIL: *Hoc verò*, (verba sunt Conringi *de Valerianô suo, in Resp. alt. p.* 9), mi Conringi, *est fucum Lectori facere, vel nugari, si tuâ pace licet, quod verum est, profiteri.*

§ 16. Tot ergò & pluribus modis ipsemet *injuriosissimus* Conringius, tamen & *Actor* adhuc fit *Injuriarum*; prorsus ad morem illorum, apud Josephum (*lib.* 2. *de Bello Jud. c.* 12.) *Sicariorum, qui si quando in turbâ cædem patrassent, ipsi primi profiluere, autorem facinoris clamore consectantes, ne si tacerent, Rei ipsimet agnoscerentur:* ceu jam monui in Anti-Conringio meo. Ita nunc Conringius agit super injuriis, quas verò non nisi suas in me, potest in scenam producere: quod ut tota antehac *Vindicatio* ipsius, sic nunc denuò loquitur *Actio Injuriarum* clarissimè. In quâ igitur, quicquid è *Vindicatione* allegatum & repetitum est, cùm pridem profligatum & excalcatum planè sit in meo *Apologetico Anti Conringiano*, ceu superius *à p.* 5 *usq.* 31, è brevi illâ anacephalæosi, Sole ipsô clariùs elucet: nunc ergô illis missis, saltem quomodo & *Actioni* illi *Injuriarum* à Conringio nuper publicatæ ad Judicem Utopicum, jam tùm oc-

currerim, justissimâ Exceptione non competentis Actionis, in Serenissimo Judicio Aulicô Gottorfiensi, ad quod me primùm *Injuriarum Actor* (nunc Desertor) injuriosissimus vocaverat, pariter hîc exponam necesse est, & simul in ipsô Solis apricô Conringium.

Matthiæ VVasmuthi

LIBELLUS EXCEPTORIUS,

Adversus

Hermanni Conringi iniquè intentatam
Actionem Injuriarum.

Reverendissime ac Serenissime Princeps, Domine Clementissime,

REverendissimæ Vestræ Serenitati, post humillima Subjectissimæ devotionis studia, gratias ago submissas, pro communicatâ mihi Clementissimè Conringi delatorii Libelli copiâ; è qua sanè & mihi & cuivis æquo arbitro non potuit non ultrò apparere statim, vafrum Conringi ingenium, & insidiosa illa hominis versutia, de qua meritò quod Lipsius alicubi de urbe Roma usurpavit, dici queat,

Periti ingenii esse capere ejus magnitudinem.

Nam I. quamvis Conringius, nullum nunc porrò *Actionis Jus* sibi in me competere, sed omnem sibimet Judicialis fori Particularis accessum in hâc causâ ultrò firmiter præclusisse, tàm sciat, quàm probè articulos digitosque suos novit: Quia

(1) Atrocissimis Convitiorum & calumniarum ditis, vel, ut ipse vocat, *Retorsione*, semet pridem publicè vindicavit, in Vindicatione illâ sic rectè ab ipsô inscripta, ceu patet in Apologiæ meæ *Proœm. pag. 3, 4, 13, 15, 16,*

35, 16, &c. prout nec etiamnum veretur, ultrò hanc Confessionis quasi gloriam amplecti in Libellô suô Delatoriô. Jam verò permitto ipsi Conringio, (cùm tantus Legum arbiter haberi velit, ut etiam in Jurisperitos ἐπέκεινα exercere instituerit), arbitrandum, an adeò vel Juris imperitum ac rudem ipsum putemus, ut expressos illos Juris textus ignoraverit, vel malitiosum, ut iis tàm injuriosè contravenire voluerit; quod nimirum *Jus suum amittat, qui illud per Judicem non reposcit, sed sibi ipsi jus dicit, L 13. D. quod met. causa L. 7. D. ad L. Jul. de vi priv:* Et quod *Retorsione*, (quam ipsemet nunc ultrò fassus est), *etiam licitâ & moderatâ, extinguatur omnis actio, & omne aliud remedium injuriarum* (si quæ essent) *illatarum*, Carpz. *p. 2, qu. crim: 9. 7. n. 31. & seqq: Idcircò* enim *judiciorum vigor, jurisque publici tutela est in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem, L. 14. Cod. de Jud. & cœl. c.*

(2) Quia terminos insuper defensionis quàm longissimè excessit Conringius. Cùm ego enim saltem elencho Ecclesiastico, (eôque optimô jure usurpatô, quod in Apolog. meâ prorsus evidentissimum fiet) ipsum arguerim, (ceu modò & ipse nunc defert), *erroris Pontificij, Synecretismi* (qui inde fluit) *Pontificij*, & hinc *dogmatis intolerabilis & pernicioſi toti Ecclesiæ*, (prout invictè suo loco demonstrabitur); adeóque *barbariei in studiis sacris per ipsum postliminiô invehendæ*, & sic *assertorum apertæ hæreseos affinium & monstrosorum*, (qualia Lutherus olim in *quibusdam bestijs Germanicis crassissimi stuporis damnaverit*; ob quod verò is nunquam ab ullis Germanis, injuriarum magìs postulatus est, quàm hodienùm quosquam Orthodoxorum ob ejusmodi Elencticum Zelum in rebus sacris, coram Judicio, injuriarum reos peragi posse, ullô exemplô hactenus compertum est); quorum omnium elenchorum, (in abstractô sic rem ipsam, nusquam in concretô Conringium ullô injuriosô epithetô ferientium), nec ego quicquam nunc indictum volo, nec vel Syllabâ unicâ mutatum ullibi cupio; cùm omnia illa Apologiâ meâ fusiori paulô, sub prelo pridem calente, luce meridianâ clariùs, expressis Conringi verbis, sine ullô eorum tormentô, tàm sim probaturus, quàm à falsissimè jactatô ipsi consensu omnium aut plerorumque Orthodoxorum ita vindicaturus, (in iis nimirum, quæ revera ego impugnavi, non quæ impugnasse me fingit); ut ipsummet potius turpis istius *RUDITATIS &*

INSCITIÆ, (cujus me arguit tàm in Vind: injuriosiſſ: quam nunc calumnioſo libello ſuô), ac longè vaniſſimæ jactantiæ, ſerio pudere debeat. Tùm denique quod rectiſſimè & jure optimô, pro publico Originarii Textus & ſtudii honore, *Z*elum hunc muneris ſacri, contra ConringI craſſos & Eccleſiæ pernicioſiſſimos errores, ſic armare omninò debuerim, nec aliter per conſcientiam & officii rationem licuerit, (quicquid ringatur Conringius cum ſuis Clientibus), teſtes tot ac arbitros habebo, quot incorruptos & intelligentes Lectores. At contrà verò Conringius, in Vindicatione ſuâ, prorſus infamibus & ſcurrilibus probris, nulli unquam Lectorum, imò ne Amicis quidem ipſius, unquam probatis aut probandis, me ob eum (quem dixi) Zelum juſtiſſimum, indigniſſimè proſcidit; idque in concretô & nominatim, (cùm ego adhuc ſuppreſsô ipſius nomine, ubique Viri *Clariſſimi*, *Doctiſſimi*, *Celeberrimi Polyhiſtoris*, titulos ipſi in Programm: meo tribuerim); non ſolùm centies propè me criminando *Sycophantam*, *Scurram*, *p.* 24; *Mendacem Cretа*, *p.* 26; *mendacij convictum*, *p.* 34; *impunè calumniari & mentiri aſſuetum*, *p.* 5; *Waſmuthicè plus quàm Sycophanticè mentitum*, *ſpiſſis & immanibus mendacijs*, *p.* 66; *Sycophanticum verè tamen Waſmuthicum mendacium*, *p.* 26; *Creticum mendacium*, *p.* 29; *Nequiſſima calumnia* (Schelmiſche Verleumbdung) *p.* 16 *&* 68; *Nequitia Sycophantæ*, *p.* 25: qualibus injuriis perſonalibus & calumniis manifeſtis, quam pœnam publicæ Imperii noſtri Leges ſanciverint, parco nunc memorare pro honore Ordinis Profeſſorii. Cùm ergò Conringius, ut iterum expreſſa verba *L.* 7. *D. ad L. Jul. de vi priv.* habent: *Non jure fecerit, id quod nec verecundiæ nec dignitati ipſius* (Profeſſoriæ) *conveniebat*: quæ ergò inſolentiſſima ipſius procacia eſt? *Leges invocare, in quas commiſit*, *L.* 37. *in fin. D. minor. Cùm pœnam potiùs, non auxilium, eô ipſô ſit promeritus.*

(3). Quia ipſe Conringius, publici ſtatim juris factâ ſuâ Vindicatione, ordinarium & legitimum Magiſtratus mei forum jam tùm præteriit; (licet in ſpeciem homo verſipellis, quatuor exempla Vindic. ſuæ Judicio noſtro Academico quaſi requiſito in ſententiam, inſinuari curarit, officium Judicis ſic ſimul implorando & occupando; quæ haut dubiè nova ipſius Juridicina erit, ſi quæ leges Juſtinianeæ per ipſum abrogari queant): & ſic ipſô factô Judicium illud publicum Orbis Eruditi, in quod

ipſum

ipsum in Programmate meo, ut justus Actor vocaveram, mecum ratum habuit, coram eôdem litem publicè contestando. Cur ergò jam sententiam hujus fori publici, quam ut incorruptissimam ipse alibi agnoscit, quam & à pluribus Facultatibus Theologicis, (quarum hæc res est), pro me impetrandam, & publicis typis exprimendam, firmiter confido, (ne me fortè conceptam Judicis sententiam formidare putet, ut quidem somniat, in Vindicatione *suâ, p.* 4, *fine*), adeò declinare extremè annititur? Cur toties jam ad pudorem usque, tot importunis flagitationibus, nunc Academiam, nunc Aulam Sereniſſimam, quatit, ut judiciô hôc in paucorum notitiam perventurô, pervertat publicum Orbis Eruditi judicium? annon apertè malæ conscientiæ morsus & spiritum quendam vertiginis, sanum hominis judicium planè intervertisse apparet? Scilicet *mali moris* illum arguere nunc audio, quod *in Germania, inter Evangelicos Magistratus impunè permittatur Eruditis, ut publicis scriptis strenuè calumnientur.* Certè si in tali Eruditorum censu se ipsum non reperit Conringius, malè se alibi reliquit: ut meritò hìc usurpem illud Poëtæ,

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes!

Quod hinc porrò præ se ferre Conringius dicitur, *Fortissimos literarum Heroas*, (in quibus ipse scil. primas facit), *inde à scriptionis officio absterreri*: nempè dicam, ne seriô Zelô rem agentes, statim *Sycophantæ, Scurræ, Cretenses mendacissimi & nequissimi, Basiliſci & Excetræ*, à Conringianæ farinæ hominibus salutentur. Tandem & de propriâ hâc queritur noxâ, quod NB *qui modô effronti scriptione maximè pollet, etiam triumphos in pessimâ agat causâ, ut veritas & justitia plerubique opprimantur*: Certè si exemplis fortè careat hæc Magni Viri querela, peti saltem poterunt è Vindicatione ipsius, vel singulis paginis, & verissimum esse apparebit, quod questus est.

(4). Quia communi omnium Academiarum & Eruditorum, quin & ipsius Conringi, propriâ praxi & exemplis constat, ejusmodi controversias Academicas & Ecclesiasticas, Scriptis publicis agitatas, non nisi totius Ecclesiæ, vel impetrandorum à Facultatibus & Presbyteriis suffragiorum, judiciis determinari solere. Jam verò hæc, quam falsissimè obtendit Conringius, *Actio Injuriarum*, ipsis quæstionibus illis Philologo-Theologicis ita innexa est, ut nullatenus possit altera sine alteris decidi, nec nisi

rem ipsam ceu Ecclesiastico-Philologicam simul judicans, illam Elenchi mei Academici justitiam exquirere valeat; quæ verò res totius Ecclesiæ est, & à toto Orbe Erudito publicisque Suffragiorum sententiis omnium rectissimè expectatur. Et sanè non potuisset non Conringius, in sinu sibi plaudere, & vel in triviis decantare, tàm simplicem fuisse oviculam Adversarium suum, ut ipsum tàm callidè speciosô Libelli Delatorii apparatu divertere à publici Orbis judicio potuerit; & interea ipse in publico orbis tribunali, (ut Cicero alicubi ait), *Crimen sine capite, sententiam sine consilio, damnationem sine defensione, obtinuisset, solus ad solos nullô sub Teste canere permissus:* mihi verò publicè inflictum immedicabile, imò lethale (si tacerem) vulnus, privatæ forsan *correctiunculæ*, (ad quam satis benignè se offert *in fine Literarum ad Sereniss. Principem*), emplastrô dissimulare potuisset Medicus. Quamvis igitur, inquam, omnia illa perspectissimè noverit Conringius, nihilominus

II. Incredibili planè & supra hominem insolentissimâ protervià non dubitavit, post bina jam antè frustranea molimina ejusmodi Delationum, nunc tertiâ vice, conceptô ineptissimô omnium Libellô, eandem crambem, non bis, sed ter positam, mortem certissimam afferre, qui Medicus salutem debebat hominibus. Et quid ergò petere elegantissimus Libellus poterat? Scil. *Quia ego* (Conringius) *jam tum editô libellô, famam & existimationem meam VINDICAVI RETORQUENDO in* Wasmuthum. Quid ergo? gratiæne ut agantur Dn. Conringio? aut fortè ipsi brabeum calumniarum ut mittatur? Imò verò aliud: *Ne tamen impunè ferantur tot injuriæ.* At quæ? in quem? Conringi sanè in Wasmuthum, litera Vindicationis nimiò loquitur. Sed *impunem* se dudum noverat ille per complura antè experimenta. *De novis* igitur *per præsentium indulgentiam* modô solicitus est: sed & novis ipsius intemperiis, novæ paratæ erunt Anticyræ. Ut enim sciat homo fastuosissimus, (qui præ nimiæ eruditionis persuasione, non nisi meras alienæ *ruditatis* & *insitiæ* cucurbitas lippire suevit, quas proprias verò intueri dolentibus oculis, propediem docebitur, teste universô Eruditorum chorô), sibi negotium esse cum pari, (quà Professionis & studiorum dignitatem, minimè verò calumniarum turpitudinem), jam nunc ipsi antè edico, nisi imposterũ quà hanc causam tacuerit

erit magis mutus quàm piscis; me publ. typis † Libellũ ipsũ longè ineptissimum, unà cum hoc meo Exceptorio Libello (etiam è virtute Conringianâ adhuc magis exornandô, cùm aliàs mitissimè ipsum adhuc tractem in Apologiâ meâ), exscriptum, publico orbis eruditi judicio exhibiturum esse; quò hic tandem publicam statuat sententiam, utrum *lixiviam Conringii*, (quod miser vanè adeò jactat) *Smegmatis* mei compagem dissolvere valuerit, nec ne. Si quam nunc ergò horribilis suæ eloquentiæ habet fiduciam, si quam colorum speciosissimorum tinctoriam scientiam, si ullam desperatæ audaciæ experientiam; audeat vel semel adhuc mussare, sive causæ suæ justitiam, sive Nominis mei obtrectationem, & permittat mihi ejus fieri copiam; (id quod in eventum solennissimè occupatum jam nunc volo, ut & superiùs allegatam Legum Imperialium tutelam): experietur cum DEO, eam publicam effrenis oris sui coërcitionem, quæ *occlusiorem* faciat, ut Comicus ait, *vani-loquentiam hominis*, omnes præ se stipites & fungos tàm brutô fastu habentis. Quô pactô tandem me desuefacturum ipsum confido, ne contra me, velut postremum idiotam, deinceps causam suam pessimam tàm ambitiosô ampullantium verborum lenociniô fucare pergat, ut ii, qui singula rerum momenta non ita componere inter se, vel temporis permittuntur impendiô, vel minùs profundâ horum studiorum tractatione, ferè dejerare possint, ipsam in Conringio pati probitatem & innocentiam; cùm contra potiùs nihil evidentius fit futurum, quàm *malum, ubi bonum se simulat, tunc demum esse pessimum*, quod diverbio dicitur. Tùm quid verò homo ille, (quantus etiam sibi videatur Politicus, minimè tamen in eô moralis), turpius aut iniquius, non dicam in Collegas meos, sed in ipsam Celsitudinem Sereniss. Ejusque prudentissimos Summos Officiales, admittere poterat, quàm Sereniss. Vestræ Celsitudinis Professorem, perpetuò sic *Ruditatis summæ, fœdæ insciitiæ, Dæmoniacæ Scientiæ, nihil intelligentis, rabientis, furiosi, delirî, insanitatis furoribus, in Vindicat. p. 29, 19, 76, 22, 49, 21*, brutô coccysmô, sine minimâ probationis specie, (quomodo solent prostrati luctatores morsu oris impetere calcem robusti victoris), criminando, & Academi-

† *In quô nunc præventisse ultrò Conringium, extremæ in his desperationis ejus infallibile argumentum habent prudentes rerum æstimatores, cùm nec aliud prudens ullum suppetere potuerit consilium, nisi fortè altum silentium, sed & eô ipsô confessa pessimæ causæ agnitio.*

demiam hanc novam, quæ per Professoris latus foditur, contemptu & ignominiâ quasi in ipsa herba suffocando: idque eo pernicioſiùs, quo tectiùs adhuc *vapidô gestat sub pectore vulpem*; quasi & *applaudat Academiæ nostræ* (*in Vindicat. p. 4.*) idque *piè faciat & linguâ & calamô, quamvis in arcanô*: ibid. quod ultimum sanè rectissimè; nam in publicô contrarium maximè præstitit, Professorem ejus, quasi vilissimum de castastâ mancipium tractando, idque tantâ procaciâ, ut & admiratoribus suæ maledicentiæ, veris Psaphonis avibus, unicè magno Literarum Dictatori Conringio succinere suetis, hanc opinionem injecerit, *soli Conringio permissum esse* (uti olim *solis Chiis, turpiter agere*), adversarium suum strenuis convitiis conculcare, & velut retrimentum trahere pedibus; & ne hiscere quidem contrâ publicè cuiquam licere: adeóque & hunc lapidem in Wasmuthum jactum, mittente Conringiô, non nisi pomum esse, ceu quondam nux pinea in Vatinium.

Proinde non possum non humillimis votis nunc Serenissimæ Celsitudinis Vestræ Clementiam submissimè exorare, ut Conringium severâ correptione increpitum, cum inepto libello suo Delatorio, à Judicio suæ Serenitatis Aulicô planè rejiciat, & imposterum ipsum ejusmodi calumnioſis Delationibus à Sereniss. Aulâ penitus exesse, patienter verô Apologiæ meæ editionem, (quam subinde novis suis incursionibus, quasi alteris Atalantæ pomis remorari hactenus studuit, nec parum sanè obstaculi, aliis jam antè impedimentis meis adjecit), brevi publicandam exspectare, seriò jubere clementissimè velit. Quò non interpellatâ ejus maturatione, & ipsimet & toti Erudito Orbi eò citiùs innotescat, quæ me urgentes impulerint rationes, quamobrem (quod jam desiderat *in Literis ad Serenissimum*), *Intra privatos parietes, imputationes meas continere non valuerim*: quamque longè alia ac graviora me inter & ipsum controvertantur, quàm ille callidis suis offuciis dissimulare, & incrustare vafrè, annisus est. Utrum ille autem, *me*, quod vult loc. cit. *luci adstituerit*, (ceu suevit quidem Clientes suos, me nunquam eâ egere visô); an verò ego potiùs ipsius errores tenebris rectiùs damnandos probaverim; judicium posthâc erit cujusvis incorrupti Lectoris. Quod si & deinceps verò post Apologiæ meæ publicationem adhuc fuerit, de quo quærere aut queri Conringio lubido fuerit, semper me habebit ad nutum respondentem.

Inte-

Interim humillimam hanc petitionem meam ut Clementissimè exauditum iri, in spem humillimam venio, sic perpetuis pro Serenitatis Vestræ Celsissimâ incolumitate precibus & votis devotis, æternum ero, qui semper fui,

Kilonl. d. 4. Maji.
An. 1668.

Reverendiss: ac Sereniss:
Celsitud. Vestræ

Humillimè subjectissimus
Matthias Wasmuth. D. P.

§ 18. Quoniam verò Conringius Germanicas etiam literas ad Sereniss. Principem tunc adjecerat suo Libello Delatorio seu *Actioni Injuriarum*, quas easdem & publici juris nuper simul fecit: igitur & ego, quam simul tunc Germanicè scripsi Epistolam, similiter hic extare volui.

Hochwürdigster Durchleuchtigster Hertzog/
Gnädigster Fürst und Herr:

EW: Hoch Fürstl. Durchl. Gnädigsten Decreto zu folge/ habe hiemit auff den von D. Conringen eingesandten Klag-libell, so mir den 21 Martij insinuiret, mit meiner Exception-Schrifft gehorsambst und unterthänigst in Termino ein zu kommen/ meine obligende pflicht erachtet. Wiewol Ich nun viel eher und billiger hette vermuthen sollen/ daß D. Conring mit einer tieffberewenden unterthänigsten Abbit-Schrifft sich hette vielmehr demütigst einfinden mügen/ wegen so vieler grewlichen und ehrenrührigen injurien und Schmähreden/ damit Er mich auß Ihrer Hoch-Fürstl. Durchl. Gnädigst-bestalten Professorem, so gar unchristlich als ewig

unerweißlich belegen / und noch jetzo in dem Klag-libell so unbescheidentlich wiederholen dürffen; auch mich so ungelahrter ruditet, (deren Er selbst aber von Mir / in den meisten puncten unserer controversien mehr den handgreifflich jetzo überwiesen wird) / zu verlästern nicht geschewet. So habe aber im gegentheil mit desto höher verwunderung erfahren müssen / daß der Mann / gleich als durch einen Schwindelgeist seiner hochstärgerliche Irrthümber / immer tieffer in seinen eigen unraht gefallen / da Er sich mit gewalt aus seinen verhauwenen Strichen wieder auffbringen wollen / und gar liestig seine grosse fauten, durch ein Particulier Gericht / dem allgemeinen / so wol gegenwertiger als Künftiger gelahrten Nachwelt / Urtheil / und unableschlicher verkleinerung seines vermeinten grossen Nahmens / unvermerckt wieder zu unterziehen getrachtet. Weil nun aber dawieder in meinem Unterthänigsten Libello Exceptorio verhoffentlich klaare und wolgegründte Rationes werden beygebracht sein / das nehmlich D. Conringius mit so grewlichen injurien und Lästerungen längst sein eigen Richter worden / und da Er deswegen selbst höchststraffbar von Jedermann billig erkant wird / Er noch jetzo hierüber als wolgethan Sich selber anzumelden / und Mich in puncto injuriarum zu belangen / gar nicht befugt sey: wie Er den auch hiebevor niemal dergleichen wider einzigen aller seiner Adversariorum, (mit denen er Sich sonst weidlich gnung in ehrenrührigen Schmähungen und injurien umbgeworffen) / vorgenommen / weil Er das öffentliche Gericht der Welt / niemaln so als jetzo zu schewen Uhrsach befunden.

So habe nochmaln hiemit Ew. HochFürstl. Durchl: unterthänigst und demütigst anflehen wollen / Dieselbe geruhen Gnädigst / dieser des D. Conringen so hinterliestiger subducirung von dem schon mit Mir auffgenommenen allgemeinen Welt-Urtheil / die intention nicht zu verhengen; Sondern Ihn dahin / wo es gehöret / mit diesen Academischen Controversien / So der gantzen Kirchen mit angehen / und von Derselben einzig mügen die völlige Entscheidung haben / von Dero HochFürstl. Hoffgericht zu verweisen: Neben HochFürstl. scharffer reprimende und Abkehr / das / da Er ein Professor seyn will / und Sich mit unserer Academie Professore in öffentlichen Schrifften auffnehmen dürffen / Er einen durch Schmäh-Worte so gar ungeschliffenen modum procedendi erwehlet / da Er vielmehr als ein Veteranus Scriptor Publicus, andern so viel Jüngern / mit tüchtigern und ba-

stan-

Kantern Art zuschreiben hette vorgehen sollen / ohn personalien / so eine wichtige Sache / mit geziemender Schärffe und Ernst zu treiben / wie Ich Ihm zwar mit guten Exempel den Weg gezeiget / aber Ihn hernach weit auß der Kehr gefunden: In dem Ich zwar die ulcera dieses Medici nothwendig tangiren müssen / als gefährliche und der hæresi beygethane Lehren / (welches den von Mir dargethan und erwiesen / auch noch jetzo mit mehren der Gelahrten Welt zu erkennen vorgestellet; So auch ausser Zweiffel mit Ihren Suffragiis publicis hierüber einkommen werden): Aber doch habe Ich seine Persohn deßwegen mit keinem einzigen injurieusen Beynahmen beleget / (da hergegen seiner Ehrenrührigen personalien wider Mich keine Maaß noch Ziel ist); sondern hat Ihm nur sein eigen Gewissen Selbsten die Elenchos in concreto appliciret. Gestalt auch im übrigen mein gebührend und Ampts halber obliegender Zelus vor die Ewige Göttliche Wahrheit / (die D. Conring weit höher lædiret hat / als Er nun gar liestig dissimuliren wollen) / Mir in keinen Wegen zu unterlassen gestanden / weniger der Anfang des Streits / (wie von meinen wiedrigen NB und theils unerfahrnen / solche impressiones und Reden außgestrewet / als ob dieser Streit von Mir wol hette mügen unerreget bleiben) / mag beygemessen werden; sondern einzig und allein dem D. Conringen, der durch seinen (weiß nicht ob auß Vorsatz oder Vorwietz) erst geschehenen lästerlichen Eingrieff in den Heiligen Grundt-Text / als einzig wahres fundament unserer Theologie, solche meine Vertheidigung desselben / Mir nach Ampts und Beruffs Pflicht / gleichsam zu nötigend abgedrungen / und zwar desto unumbgänglicher / als verschiedene hohe ingenia, an mehr dann einem Orte / von dergleichen Helmstädtischen höchstschädlichen Irrungen von Jugend auff schon längst gar gefährlich verführet / und fast schwerlich anders als durch außführliche und unwiederlegliche documentirungen mügen eines bessern bereddet werden. Und sothanes habe zu jetziger meiner gegen-Notthurfft unterthänigst beybringen sollen. Hiemit Ew. Hoch Fürstl. Durchl. zu aller Hoch Fürstl. incolumitet und langer Höchstglücklicher Regierung / der Gnaden Obhut des Allerhöchsten unterthänigst Ergebend / verbleibe

Kiel. den 4 Maij
Anno 1668.

Ew. Hoch Fürstl. Durchl.

Unterthänigst-Gehorsahmster Diener
Matthias Walmuth, D. P.

§ 19. Ad hunc geminum Libellum meum Exceptorium, cùm ferè semestri tacuisset Conringius, tandem quasi *nuper è Daniâ demum copiam ejus Libelli obtinuisset*; iteratò pulsans forum judicii Aulici, & hoc enarrat simul, & *in contumaciam* tamen damnari me petit, quasi non responderim ipsius Libello Accusatorio; imò & ampliùs me graviter puniri **der boßhafftigen That halber**/ rogat, quod Apologiæ meæ quaterniones aliquot miserim ad Doctos in & extra Germaniam, rogatum eorum judicia. Et quod his ipsis verbis in Anti-Conringio meo, p. 521, hanc rem enarrassem, criminatur Conr: in impressâ nunc *Act. Inj. p.* 28, *Se non vulgaturum fuisse illam Actionem Injuriarum, nisi NB improbis calumniis de forensi hôc negotio sparsis me* STCOPHANTA *quasi coegisset.* Judica Lector, an ullus in Conringio sit rubor aut candor: nigrum planè dixeris. Cæterùm cùm Conringius meritò veritus sit nuper, illam sic contradictoriam suam Epistolam & aliàs ineptissimam, publicæ simul luci cum prioribus suis exponere; succurram nunc ergò misero, & pro ipsô vulgabo eandem, meamque unà ad eam tunc datam Responsionem; quæ ambæ igitur sic habent:

Primò Conringiana *Replica*:

Durchleuchtigster Fürst
Gnädigster Herr:

EW: Fürstl: Dhl: Gnädigsten befehlig zu folge/ habe ich bereits am 3. Martii meinen Klag-libellum wider Dero Professorem D. Waßmuth abgefasset/ auch gebührlich dem Hochlöbl. Judicio übergeben lassen/. In graumer Zeit aber ist mir nachgehents nichts zugekommen/ biß vor dreyen Tagen auß Dennemarck von einem guten Freunde Copia einer Waßmuthischen Schrifft/ wodurch der Injuriant sich dem ansehen nach Ew.

Ew: HochF: Dhl: verordneten Judicio hat wollen endziehen / anhero gesand worden.

Weiln dasselbe judicialiter mir nicht insinuiret, viel weniger von einem darauff ergangenem Decreto mir bewust / als erachte ich unnöthig / solche Schrifft (zumahln dieselbe keiner würden / auch vermutlich in Judicio nicht angenommen) mit einer Litter zu beantworten /

Aldieweiln aber Ew: Fürstl: Dhl: Gnädigst und Fürstrühmblich meine abgenötigte Klage angenommen / und Justitiam mir administriren zu lassen verordnet / Als bitte ich nunmehr untherthänigst / Ew: Fürstl: Dhl. beklagten Waßmuth propter contumaciam hinführo à limine judicii abzuweisen / und auff meine abgetrungene Injurien-Klage ein rechtmäßiges Urtheil fellen zu lassen /

Wobey Ew: Fürstl: Dhl: abermahls demütigst zu klagen Ich werde gemüßiget / das von mehrerwehnten Injurianten, hin und wieder in und ausser Teutschland / heimblicher weise / eines Buches / so Er in Ew: HochF: Dhl: Stadt und Universität Kiel lesset trücken / viel Bogen spargiret werden. Ob deren etzlichen / so mir zu handen kommen / Ich verspüret / daß der Injuriant nicht allein wie vorhin / sondern immer gröber mit Calumnien und Lesterungen meinen Ehrlichen Nahmen anzugreiffen nicht auffhöre. Wan nun solches dem Lauff der justitz, auch Ew: Fl: Dhl: höchstlöbl: intention und Verordnung zu wider / mir auch unleidlich / als bitte ich demütigst / Ew: Fl: Dhl: wollen gnädigst geruhen / den Injurianten dieser boßhafftigen That halber / zumahln dieselbe zu Ew: Fürstl: Dhl: eigener Verunglimpfung gereichet / mit ernstlicher Bestraffung anzusehen / und ferner für calumnien und injurien mich Gnädigst beschützen.

Wie dieses mein beides suchen der högsten Billigkeit gemäß / als zweifele Ich nicht an Gnädigster Erhörung / Ew: HochF: Dhl: Göttl: Obhut zu allen HochFl: Wollergehen getrewligst empfehlend /

Helmstedt. den 12 Septembr:
Anno. 1663.

Ew: Fürstl: Dhl:

Zeit lebens

Trewgehorsahmster Knecht
Herman Conringius. D.

§ 20. Sequitur Copia Mandati ad illud SERENISSIMI.

Von GOTtes Gnaden Christian Albrecht / Erbe zu Norwegen / Postulirter Coadjutor des Stiffts Lübeck / Hertzog zu Schleßwig / Hollstein / Stormarn und der Dithmarschen / Graff zu Oldenburg und Delmenhorst ꝛc.

EHrwürdiger / und Hochgelarter / Lieber Getrewer / Wir thun euch beygefügt Copeylich zufertigen / was bey Uns D. Conringius, Professor zu Helmstedt / supplicando eingebracht / dabey sich wegen Ewer hin und wieder spargirten Schrifften / und darin wieder Ihme befindlichen Calumnien gantz höchlich beschwehret / und unterthänigst gebeten: Mit dem gnädigsten befehlige / Ihr Ewer Erklerung und gegen-Rothurfft darauff so fort in Schrifften einschicken wollet / damit was sich gestalten Sachen nach Rechtswegen gebühren wil / hirin weiter verabscheidet werden könne. Seinde euch in Gnaden wollgewogen / Geben auff Unserm Schloß Gottorff. den 1. Octobr. Anno 1668.

(L.S.) Christian Albrecht.

Eilhardt Schacht.

§ 21. Sequitur Responsum seu *Duplica* Wasmuthi.

Hochwürdigster Durchleuchtigster Hertzog / Gnädigster Fürst und Herr:

AUs Ew. HochFürstl. Durchl. an mich de dato den 1. Octobr. Gnädigst abgelassenem Mandato, so mir den 12. Ejusdem insinuiret, habe zwar mit Schmertzen vernehmen müssen / welcher Gestal-

stalt D. Conringius, mit abermahliger gantz unbefugter und ungeschickter Klag-schrifft Ew. HochFürstl. Durchl. zu importuniren / kein Scheu noch Bedencken tragen wollen. Jedoch zweiffele gar nicht / Ew. HochFürstl. Durchl. auch aus derselben / des Deferenten unbändiges / trotziges und schmähsüchtiges Gemüth / daß er auch gleichsam in dero Conspect und Angesicht sich nicht im geringsten zu mäßigen / ja fast Ihrer HochFürstl. Durchl. selbsten nicht zu verschonen gewust / je mehr und mehr werde zu erkennen haben. Denn

1. Habe ich ja auff den ersten Klag-libell des Deferenten / so mir den 31. Martii insinuiret / dem HochFürstl. Decreto zu folge / in termino geantwortet / in dem ich den 4. Maij, meinen in Rechten fundirten Libellum Exceptorium, dagegen in duplo gerichtlich eingesandt / wie der Herr Secretarius Schacht wird bezeugen können / nebenst absonderlichen unterthänigsten Schreiben an Ew. HochFürstl. Durchl: ümb den noch allemahl calumniirenden Deferenten / mit einer HochFürstl. ernsten reprimende abzuweisen.

2. Das aber gemelten Deferenten / selbige meine Exception-Schrifft **nicht** *judicialiter insinuiret* **worden / weniger Ihm von einem darauff ergangenen** *Decreto* **bewust** / kan ich ja gar nicht zu thun / sondern wird Er wol selbst Schuld seyn / daß Er nicht / wie Actori in Gerichten zustehet / selbige aus dem HochFürstl. Gericht abfodern lassen; welches entweder dieser Polypragmon nicht verstanden / oder etwa seiner besondern Hoheit erachtet / daß ihm schon ultrò müsse angedienet werden.

3. Ist auch der Warheit gar nicht gemäß / wie der Deferent ominiret / **daß meine** *Exception*-**Schrifft im** *Judicio* **nicht werde angenommen seyn; dannenhero Ers auch keiner würden achte / und unnöthig / solche mit einer** *Litter* **zubeantworten.** So dann seiner grossen persuasionen gewöhnliche fantasie ist / damit er ante victoriam triumphantem animum gern oblectiret / und zu gleich seiner obliegenden Verantwortung Unmügligkeit vorbawen wil / in dem Er sich schämet zu schweigen / wenn die mir zustimmende Suffragia gantzer Theologischen Facultäten Ihn seiner Irrthümber und Lästerungen halber condemniren und zum stillschweigen bringen werden; welches Ihm sein Hertz und Gewissen schon jetzt zusaget / und (wie vor Augen) so unaufhörlich treibet / sich offenbar-

senbarlich / mit so unruhiger Bemühung dem allgemeinen Welt-Urtheil zu entgehen / zum öfftern zu prostituiren.

4. Wann er demnach mich ob contumaciam (falsò accusatã), wil *à limine judicis* **abgewiesen haben** / spricht Er je darin sein eigen Urtheil / daß Er selbst solches verdienet / umb seiner entweder grossen Unachtsamkeit oder stoltzer Verachtung des Weltbekandten Processus willen: uñ treibet zugleich rechte ineptias tanto Politico indignas, daß er jetzo so flehentlich bittet / Mich *à limine judicii* **abzuweisen** / dahin doch Er selbst allein mich invitum und gleich bey den Haaren als injuriosus Actor noch immerdar schleppet / und wider seinen zugleich und meinen Willen auffhält; da Ich billig bey dem einmahl beiderseits auffgenommenen Kirchen- und ganzer Welt-Urtheil zu verharren begehre.

5. Daß Ich ferner **in und ausser Teutschlandes** / die verfertigte Bogen Meiner Anti-Conringischen Apologie, an die Theologische Facultäten und sonst einige berühmte Philologos versendet / und derselben unpartheyisches judicium in so wichtiger Sache / aller Schrifft-wechselnden Gelahrten üblicher Gewonheit nach / imploriret habe / gestehe Ich gar gern; ist aber nicht **heimblicher Weise** / wie der Deferent angiebt / geschehen; gestalt selbige Suffragia publica, zusampt meinem deßwegen abgesandten Libell, durch öffentlichen Druck / der Gelahrten Welt gemein gemacht werden / welches vielmehr eine offenbahre Anzeige ist meiner wohlbewusten gerechten Sache / als ein heimliches spargiren der Bogen zu nennen. Ob demnach der Deferent hierin sich eines gesunden Verstandes gebrauche / oder aber seine eigene **heimliche** remorsus conscientiæ damit entdecke / lasse Ich zu reifflicher Erwegung gestelt seyn: Mag etwa auch wol seyn / daß Er das eine **heimliche Weise** arguiren wollen / daß Ich auff der Druckerey alhie præcaviret habe / das nicht einige seiner Clienten die gedruckte Bogen meines Anti-Conringi Ihm nach gerade zu practisiren mügen / wie Ihm gleichwohl auß Dennemarck durch einen heimlichen Zu-partirer / einige Bogen / weiß nicht wie / zu geflogen.

6. Das aber der Deferent, noch immerdar mich als einen injurianten zu traduciren sich so frevenlich gelüsten lässet / muß Ich als eine unverschuldte Calumnie mit guten Gewissen so lang leiden / biß die helle Warheit / und so vieler vornehmen Theologen und Philologen judicia, deren ich schon

schon etliche in Händen habe / und in Originali bey Hoffe sehen lassen / öffentlich den Conring nöthigen werden / das wieder zu sich zunehmen / was Er so offt injurieus wider Mich außgegossen; Wie Ich denn auch die Worte / daß Ich seinen ehrlichen Nahmen mit immer gröbern *Calumnien* und Lästerungen anzugreiffen nicht auffhöre / Ihm hiermit als eine Ehrenrührige unerweißliche Auffsage wieder heimsende. Denn daß Ich weder vorhin im Programmate, noch jetzt im Apologetico, den Deferenten einiger massen calumniiret / sondern vielmehr mit höchsten Recht / vermüge meines Ampts und Gewissens / seine grobe höchstgefährliche Irrthümber / so Er in öffentlichen Schrifften außgestrewet / Ich auch hinwieder öffentlich habe refutiren müssen / und selbige ohn Lästerung bey ihren rechten Nahmen genennet und notiret / Solches wie Ich in Schrifften dargethan und erwiesen / also haben es schon die bißher eingelangte Judicia Facultatum völlig confirmiret und mit grossen Zelô gut geheissen. Er aber hergegen wird von Selbigen Facultäten / nach Göttlichen und Menschlichen Rechten höchst straffbar erkandt / sowegen seiner gefährlichen / und unser Kirchen höchstnachtheiligen Irrungen / als Scurrilischen Läster- und Schmähungen.

7. Ist endlich eine gar zu grosse Verleumbdung / das der Deferent Mich angiessen darff / als ob zu Ew. Hoch Fürstl. Durchl. eigener Verunglimpfung gereiche / was von Mir hierin geschehen. Wahrlich wann diesem höchststraffbahren Lästerer solte bey Verlust aller seiner zeitlichen Wolfarth aufferleget werden / das geringste dessen mit Bestand darzu thun / würde Er ehe alles einbüssen müssen / als nur einen glaubwürdigen Schein solcher fälschlichen Auffsage documentiren können. Vielmehr ist Er mit aller Warheit zubeschüldigen / daß Er zu Ew. Hoch Fürstl. Durchl. höchst-unverantwortlicher Verunglimpfung / in seiner öffentlichen Schmähkarte / (wie seine Vindication billig zu nennen) / Mich Dero Hoch Fürstl. Durchl. Gnädigst bestalten Professorem, mit so vielen Ehrenrührigen abscheulichen Verlästerungen / wie auß meiner Apologia pag. 4, zu ersehen / (über welche / wenn Ich die Leges Imperiales anruffen wolte / Er wol gedencken kan / was Er verdienet hette / und Ich mit Recht wider Ihn bitten könte zu seinem unauflöschlichen Schimpff / so Ich aber auß Christlicher Sanfftmuth bißher unterlassen) / recht unchristlich und Barbarischer weise laceri-

ret / ja durch meine Seite unser gantzes Corpus Academicum, und dessen glorwürdiges Haupt listiglich zu vulneriren nachgestellet / als ob Ew. HochFürstl. Durchl. auff Dero newerrichteten Academie, unter andern solchen **unsinnigen / verlogenen / bübischen / groben** *ignoranten* **/ gar von Teufflischer Wissenschafft / denn die** *studi*rende **Jugend als einen Meister zu liegen und verleumbden gebrauche** / vocireret und bestellet hetten: dessen Wiederspiel aber nunmehr die gantze gelahrte Welt einzeugen wird.

Wie denn nun auß obigen allen Ew. HochFürstl. Durchl. Gnädigst ersehen / und klärlichen erhellet / das der Deferent Mich wieder allen Fug der Contumaciæ accusiret / listige *prætexte* seiner unmüglichen Gegenrede oder Verantwortung schon vorzuschützen suchet / die Sache zugleich von dem allgemeinen Welt-Urtheil / und selbst angefleheten *Limine Judicij* gar wegzubringen trachtet / (damit Er allein in propria causa Kläger / Zeuge / und Richter seyn könne) / Mich fälschlich seinen *Injuranten* **in heimlich** *spargirten* **Bogen schilt** / und endlich gar **Ew. HochFürstl. Durchl. verunglimpffet** zu haben / verleumbderscher Weise angegossen: Als ist und gelanget an Ew. HochFürstl. mein unterthänigstes Suchen / Sie geruhen Gnädigst / diesen so Importunen und trotzigen imploranten nunmehr gäntzlich *A LIMINE JUDICII* ab / an das allgemeine judicium der Kirchen und gelahrten Welt / wohin eigentlich solche Academische Controversien gehören / zu verweisen / als welches D. Conring einmahl mit Mir auffgenommen / und sich nun nicht wieder unterziehen kan noch mus.

Womit Ew. HochFürstl. Durchl. der Gnädigsten Obhut des Allerhöchsten zu aller HochFürstl. incolumität unterthänigst und getrewligst ergebe /

Kiel. den 19. Octobr. Anno 1668.

Ew. HochFürstl. Durchl.

Unterthänigst-gehorsahmster Diener

Matthias Wasmuth. D. P.

§ 22.

§ 22. Sequitur Copia Sereniſſimi ad ſuperiora noſtra Decreti, miſſi ad Conringium.

Chriſtian Albrecht/ ꝛc.

UNſern Gnädigſten Grus zuvorn/ Ehrnveſter Hoch gelahrter/ Lieber Beſonder/

Wir haben empfangen/ und verleſen/ was ihr vom 12 negſtabgetrettenen Monats Septembris, wider D.rem Waßmuthen Profeſſorem bey Unſer Kiehliſchen Univerſität/ in puncto beſchüldigten Contumaciæ, daß Er/ nemblich auff Ewer/ in puncto injuriarum, am 25. Martii negſthin eingekommenes/ und ihme D.ri Waßmuthen/ als Beklagten am 30. ejusdem zugeſandtes Klag-Libell, bißanhero nicht geantwortet/ und dannenhero ihn à limine judicii abzuweiſen unterthänigſt geſuchet und gebeten/ anhero gelangen laſſen.

Wie Wir nun/ den Rechten nach/dem Beklagten ſolche Ewer Schrifft communiciren und ſeine gegen Nothurfft darüber vernehmen müſſen/ Alſo iſt derſelbe damit heutiges Tages eingekommen/ wie Wir euch davon die Abſchrifft beygefügt zu fertigen/ worauß den ſo wol befindlich/ als auch bey Unſerm Fürſtl. Hoffgericht die Nachricht verhanden/ das der Beklagter/ in termino, und zwaren am 8. Maij, ſeinen Libellum Exceptorium in duplo eingeſand/ davon auch das eine Exemplar, (weilen von euch hieſigen Orts kein Gevolmechtiger/ noch weniger wie ſich ſonſtet den Rechten nach gebühret/ auch bey allen Gerichten herkommens/ ein Procurator ad acta conſtituiret), ſo fort mit einem Couvert, an euch verſiegelt gerichtet/ und auff die algemeine Poſt gegeben. Da nun Euch daſſelbe biß acto nicht zugekommen/ So iſt zum überflus die Abſchrifft deſſen/ ſo bey den Actis verhanden/ hie beygelegt: und ſtehet zu Ewren belieben/ ob Ihr inhalt Unſer am 10. Februarij gerichtlich gemachten Veranlaſſung/ſo weit den punctum injuriarum betrifft/ (dann die haupt-Controverſien Wir dahin verſtellet ſeyn laſſen)/weiter darauff handlen wollet/ da alsdan/ wann hinc inde ſubmittiret, nach Anleitung beſagter Veranlaſſung/ mit transmiſſion actorum verfahren werden ſoll.

So Wir Euch zu Gnädigster Antwort nicht verhalten wollen/ deme Wir zu Gnaden wol gewogen seyn. Geben ꝛc. Gottorff. den 21. Octobr. Anno 1668.

An Hermannum Conring. Medicinæ Doctorem und Professorem bey der Julius Universität ꝛc.

§ 13. Ex hisce utique omnibus luce meridianâ clariùs apparet, omnia tàm justè & legitimè esse peracta & decreta in Serenissimo nostro Judicio Gottorfiensi, ut Conringio nulla planè causa extiterit, quare à certo hôc & delecto sibi Judice Supremô, tàm leviter ac temerè ad vagum ac incertum *Orbis* i. e. *nullum Judicium*, (ipsômet falsô, *pag.* 23 *Act. Injur.* dum scil. nullam certam Facultatem, nullos certos Viros Doctos, compellavit, ut egò meô feceram Anti-Conringiô), deficere & provocare voluerit illâ publicatione suâ *Actionis Injur:* sed quod unicè pessimæ causæ suæ conscientia, ad desperatum hoc (fatentibus omnibus) consilium ipsum adegerit: ut saltem aliquid egisse videretur, qui nihil posse, dudum erat convictissimus; nisi quod (more protriti anguis caudâ postremum minantis), sub finem *pag.* 28, *Duos exiguos Libellos* adhuc sibilet, sed valdè exili & fractâ voce, scil. *si proximè visum fuerit*; quod verò Græcô diverbiô, Μέλλον ἴσον ἀπραξίᾳ λέγω *Futurum pro nullô habeo usque dum fiat*; modò non *visum fuerit*, quod mox in spongiam incumbere *videatur*.

§ 23. Cùm porrò Conringius etiam in suâ *Actione Injuriarum*, *pag.* 10 & 17, è *Programmate meo Paschali* An. 1667, nec non è *Vindiciis meis Anti-Cappell-Waltonianis*, sub finem *Addendorum*, allegârit, & quasi *RUDITATIS AC TURPIS INSCITIÆ* arguerit, meam de LXX Interpretum versione vel perversione poti-

potiùs illorum duorum Loc. *Psal. 88*, 11, *& Jes.* 26, 14, (*de Medicis non resurrecturis* per illam Vers.), assertionem, *quod* scil. *illa Versio* sic comparata sit, ut *meritò Virum illum Celeberrimum*, (Conringium ceu Medicum) *absterrere debuerit à scribendâ illâ dicâ gravissimâ S. Codici Hebræo*, ceu inf. sequetur: Necessum igitur duxi, in meâ hâc ad *Actionem* illam Responsione, pariter extare, quid isti Conringianæ Objectioni *ruditatis meæ*, reposuerim: nimirum sequens

Excerptum ex Apologetico Anti-Conringianô,

à pag. 231 *usque* 235; *ad illam*
Conringianam *Ruditatis* imputationem.

COnringius *in Epist. Grat.* non improbat eos, qui NB *certô argumentô* velint, *Apostolos usu isthôc* (allegationis), *significasse ILLIUS VERSIONIS AUTHENTIAM & excellentiam præ Ebræô ipsô*: sed saltem ait; *NON equidem ego SECURE id dixerim*: *Non, inquam, SECURE*, l. cit. & pag. 16, *NON TEMERE se id probare cum Augustino.* Tàm cauta est vulpecula nostra, caudam abscondens, nihilominus conspicuam: cùm potiùs *securissimè* debuisset, & sine *temeritate* potuisset, id negare simpliciter. Sed forsan conjicio causam, cur *non securè, non temerè*, audeat Medicus noster, *Versioni LXX authentiam & excellentiam præ Textu Ebræô ipsô* ubique tribuere. Nimirum, nisi me fallunt omnia, consideravit, (ampliùs nunc etiam edoctus meis Vindiciis, in Addend. quas notavit istô nomine, ut inf. videbimus), è Versione illâ probari posse, quod Medici non sint resurrecturi in die novissimo: nam *Psal. 88*, 11, *& Jes.* 26, 14, ubi utrobique in Fonte legitur אִם־רְפָאִים *aut num mortui* (Gigantes infernales, *Jes.* 14, 9) *resurgent*, scil. *ut confiteantur Tibi*? Ol LXX legentes רֹפְאִים *Medici*, hôc vertunt & pervertunt sensu, ἢ ἰατροὶ ἀναστήσουσι καὶ ἐξομολογήσονταί σοι *aut num MEDICI resurgent & confitebuntur tibi? Psal.* 88, 11: & pariter *Jes.* 26, 14, ὧδε ἰατροὶ ὃ μὴ ἀναστήσουσι, ἀπώλεσας, καὶ ἦρας πᾶν ἄρσεν αὐτῶν NE-

QUE MEDICI ULLATENUS resurgent; perdidisti, & sustulisti omnem eorum memoriam. Hanc, (ut alia absona innumera illius Vers. quicquid *ei reverentiam ab universâ* olim *Ecclesia* fœneretur Conring. pag. 49), nimis *ominosam in Medicos* (non omnes, sed *μισαυθεντογράφους osores authentici Codicis*), *παρερμηνείαν perversionem Scripturæ* in illâ *Versione LXX Græcâ*, monueram in Program. aliquo Pro Rectorali, *prohibere meritò debuisse Virum illum Celeberrimum* (Conringium intelligebam), *qui Sanctissimæ Veritati Hebrææ gravem illam dicam scribere non sit veritus, quod ubi illa Græca abit ab hod. Hebræô, id non culpâ Interp. sed Exemplorum Heb. diversitate sit factum: quodque jam Pontificij, exemplô Morini in Exerc. p. 186, in rem suam id converterint*, &c: Sed ea non poterat Medico-Politicus Helmstadiensis ferre, sibi *πρὸς βίαν* (ut Sophocleus Agamemnon loquitur) *ad vim usque* inculcari: ac proinde cùm alia deesset citior occasio, properavit inter alia nuper concepti ineptissimi *Libelli Delatorii* ad Aulam nostram Serenissimam, (quô me puniri, quod non amplissimis gratiis calumnias Vindicis excepissem, petierat, amplissimô Sapientum risu), *ἐκτρώματα* (*egestiones* impuri stomachi), hoc quoque Programmatis mei *ἀποσπασμάτιον* revolvere, & singulari insuper studiô, hoc meum quasi grande erratum Dno Referenti diligenter commendare, (scil. ne incommendata ConringI in his *ruditas* minùs adverteretur), *quod non dubitarim, Græcos Interpretes perversæ Scripturæ reos agere, adductis illis locis, è Psal. 88, & Jes. 26, de MEDICIS NON RESURRECTURIS*, (scil. per illam hypothesin ConringI de *non culpandis 70 Interpp.*), ubi *prodiderim Græcæ Linguæ TURPEM INSCITIAM.* Et quam ergò illam, Magne Grajugenum Doctor? Tace Wasmuth; *Cùm vel tyronibus notum sit, voculam ἀναστήσουσι, quâ usi sunt LXX, non verti debuisse* resurgent, *sed* resuscitabunt. Benè habet; metuebam, ne Cœlum ruisset Athenarum: jam audio Grammaticellum Græcum inter Professores etiam quærere *Molossos INSCITIÆ*, quos in Presbyteris suis & *seditiosis Demagogis* (Epist. Grat. p. 107 & 114) malè vel invenit pridem vel efficere voluit, *pag. 49 & 50. ibid.* Sed quid si folium vertat? & Heros noster Græcanicus, tùm ex ipso Galeno suo, tùm Orientalium Interpretum longè peritiori *Ἑλλάδος φωνῇ*, convincatur crassissimæ *INSCITIÆ*?

TIÆ? An enim tàm obliviosus ipsius Galeni sui lector est, ut nesciat eum pariter ita sive Passivâ sive Neutrali vocis Activæ significatione esse usum, h. v. ἐπὶ τῶν ἀναλαμβανόντων ἐκ νόσου μακρᾶς, *in iis qui RESTITUUNTUR è longo morbo*? item à Plutarcho sic usurpatum esse, ἐκ τῆς πληγῆς ἀναφέρων *ex vulnere resectus*, vel *convalescens*: quomodo & Atticis non infrequens est, γράφειν pro γράφεσθαι, βουλεύειν pro βουλεύεσθαι. Sic Pind. Olymp. 7, Τελεύτασαν δὲ λόγων κορυφαί *Finiunt* (pro finiuntur) *verborum capita*, & Thucyd. l. 1. ἐπιμιγνῦντες ἀδέως, pro ἐπιμιγνύμενοι, quod expressè ibi Vetus Interpres sic accipiendum monet; prout Latinis etiam familiare est, *venti ponunt*, *res mutant*, *annus vertit*, &c: omnia activa pro passivis. Cur igitur *inscitia* sit, & quidem *turpis*, voculam ἀναστήσουσι hôc locô vertere *resurgent* potiùs quàm *suscitabunt*? Imprimis cùm activa hìc significatio foret sensus imperfecti, imò impossibilis. Quid enim, sodes, aut quem *suscitaturi* activè dicantur Medici? Neminem ego quidem hactenus comperi, tale quid minari ausum: an aliquis Helmstadiensis Medicus adhuc, quæ sua forsan errata tegit terra, suscitare speret, est quod mereretur indaginem. Accedit Arabis & Syri (qui plerubique τοὺς LXX κατὰ πόδα sequuntur) autoritas: quorum ille pariter reddidit eam vocem يَقُومُونَ *resurgent*, iste נקומון *resurgent*: & tamen *resurgere* minùs placet huic Medico, quàm *suscitare*: Quod ergò an beata etiam illa Versio vernacula Sauberti sic reddiderit, fortè in gratiam hujus Medici, nunc equidem ambigendum est, donec & illa *suscitetur*. Aut jam ergò *LXX Interp. perversæ hîc Scripturæ* à me jure *reos peractos* concedet Conringius, aut suam Medicus resurrectionem à mortuis, nullam vel dubiam ex eadem Versione agnoscet. Sed ampliùs pergit Medicus meus Delator ad Aulam: *Ne quid nunc dicam, quod præ animi NB impotentiâ*, πᾶν ἄρσεν αὐτῶν *ibidem verterit*, *omnem eorum MEMORIAM*. At hæc non erat *animi IMPOTENTIA*, Potentissime Conringi, τὸ ἄρσεν â me exponi *memoriam*, (sc. ad exemplum pariter Syri & Arabis Interpretis tropicè, cùm masculâ prole memoria gentis propagetur), haut magìs sanè, quàm à tuis LXX Interpp. τὸ זֶכֶר *memoria* quod in Fonte habetur, tropicè expositum per ἄρσεν *masculum*, ex *impotentiâ animi*

nimi factum dices. Et ne tamen non potentissimè hìc constringeres Wasmuthum tuum, præclusam ei quoq; cupis l. cit. elabendi rimam quasi *præcipitantiæ*; *cùm in eundem LAPIDEM jam impegisse* Wasm. dicis *antehac in Vindiciis suis, in Addendis ad p.* 145. Infelix! Nullum hìc invenis *lapidem* offensionis, nisi in quo Tu ipse jam comminutus es: nec ita elabendi *præcipitia* quærere soleo; non meum, non Wasmuthi hoc, sed Conringi est: inspice modò Cap. II hujus Apol. meæ, & te ipsum mihi vadem dabis. Mirari interim summoperè oportet, qui Tu Vir *ingenti negotiorum multitudine, & incumbente eorum mole, occupatissimus*, teste tuâ Vindic. pag. 3, 7, 76, &c. (neque enim cum Cicerone ad Attic. l. 1. *Verendum Tu putas, ne putidum sit, scribere, quàm sis occupatus*: modò non sec. illud Senecæ Epist. 62, *Simules occupationes, & augeas, & ipse te occupes*, ut ille *Damasippus* Horatianus, *Aliena negotia curans, excussus propriis*), tantum otii, istis meis Vindiciis Hebraicis, (quas tamen *vel adire* aliàs *non vacare* te scribis, *pag.* 20 *Vindic.*) nihilominus impendere volueris, ut etiam ad usq; *Addenda* in iisdem, persecutus sis *Inscitiam & Lapides impingentis Wasmuthi*, (qui verò nunc ipsi Tibi cerebrum, credo, excusserunt). Quod si tamen ita perrexeris mi Senex, sedulò volvere & revolvere mea potiùs Hebraica, quàm illas claustrales membranas veterum Ambarvalium, *MOLEM* tuam *negotiorum*; spem de te concipio firmam, emendandæ imposterum ἀνιερογλωσσίας & tuæ pariter & Presbyterorum tuorum. *EXPLICIT PSEUDOLUS.*

Sequitur Responsum, ad reliquum publicatæ Conringianæ *Actionis Injur.* Supplementum.

§ 25. Atque ita cùm plenissimè nunc satisfactum esse omni *Actioni Injuriarum* Conringianæ pariter ac ipsi *Causæ* antehac *Principali*, firmiter confidam: supervacaneum erit, reliquis illis nugis, quas ad Lectorem, Supplementum suæ *Actionis Injuriarum* publicatæ, dare voluit Conringius, à *p. ejus* 19 *ad finem*, porrò solicitè occupari, aut ulteriùs immorari. Saltem unum vel alterum tamen ne silentiò planè transmittatur; ordine paginarum breviter persequemur. Ac

Ac initio quidem mirari vehementer oportuit, quî Magno noſtro Politico, tot *negotiorum graviorum* immensâ mole *fermè obruto, pag. 26 Act. Injur.* (ut propè monopolium occupationum habere videatur), tantum otii ſuperfuerit, ad trivialem ejusmodi & pædagogicam (quaſi alicujus ex Aphthonii Progymnasmatibus Paradigmatis) commentationem, de *infeliciori & iniquiori Literati Ordinis conditione*, in ſubeundâ *cenſurâ aut cavillatione imperitorum vel improborum:* ceu *à pag. 19 usque* 24, multa madida & natantia verba, vitrea fracta, & ſomniorum interpretamenta, profudit Chryſes noſter, tàm in ſuum (imò veriùs) quàm meum caput quadrantia. Nec ſatis habuit, jam antè in Literis ſuis ad Sereniſſ. noſt. *p.* 12, 13, 14, idem illud argumentum ſcholaſticè adeò coram Summo Principe ediſſeruiſſe; ſed & iterum nunc largâ verborũ diffluens diarrhœâ Medicus, in eundem Locum communem *Ut multa verba fecit! Ut lenta eſt materies!* quod ille apud Comicum ait. Præcipuè verò de *immodeſtiâ, injuriarum, & calumniarum juſtis pœnis*, Noſter velut alter Rhadamanthus ita rhetoricatur paſſim locis citatis, ut inter inaudita propriæ maledicentiæ ſpecimina, præ ſe tamen modeſtiam & manſuetudinem ſine exemplo ſummam ferre videatur; & incidens fortè in illa ipſius Lector, non poſſit non illud olim Jugurthæ exclamare, *Papæ quàm frigidum eſt veſtrum balneum!* Præterea *ibid.* de *Typographiæ peſſimô abuſu*, imprimis *ſi in caput ipſius ſit calumniatum*, (ſic loquitur Helmſtadienſis Latiniſta *l. c. pag.* 20), tàm piè ac graviter Conring: intonat, *l. cit.* ac ſi ipſe nunquam *Typographiâ Helmſtadienſi abuſus* ſit ad publicanda ſua convitia, prorſus infamia, ſuosve errores craſſos ac pernicioſos toti Eccleſiæ affricandos: publicè etiam præſcriptâ, quod horren-

dum, illis omnibus PRIVILEGIORUM *indulgentiâ*, quam SCELERIBUS (in *Vindicatione* potiùs Conr. & *Act. Inj.* quam in meo *Anti-Conr.* ut ille vult, *l. c. p.* 28) non tàm *conceſſam* dixerim, quàm Conr. ſumptam & temerè uſurpatam.

§ 26. Quod porrò *pag.* 21 *Act. Inj.* Conringius valdè religiosè *Malis moribus Seculi noſtri* accenſet, *injurias Literatorum non ad Tribunalia fori* citari ſolere, idq; ſeverô fulmine quaſi cavere vult, *ne ita ad injurias illas conniveant Judices; ſiquidem eas neglecturi, juſtam aliquando SANCTISSIMI JUDICIS ANIMADVERSIONEM ſenſuri ſint, l. cit: & pag.* 23. Id verò inſignem hominis prodit hypocriſin, quod tàm ſecurè hæc inter Hereynios ſaltus & tesqua ferarum, ad Judicem Utopicum ponè Bructerum, ſpargat oracula; quæ ſi modò æquè conſtanter edere in Sereniſſimo noſtro Judicio Aulico auſus fuiſſet, brevi illa omnia ſuo ipſius capiti ceciniſſe, reipſa experturus fuerat. Quod ſi nec dum crediderit Conringius; provoco etiamnum publicè, ut modò tentet *Actionem* ſuam proſequi, quam *ad duo Collegia Juridica transmittendam*, Sereniſſimum *æquum Judicium* (ipsô laudante Conr. pag. 24) jam decrevit. En ergò Conringi, famæ, conſcientiæ, & honoris tui, periculum! en experimentum! Ampliùs *pag.* 22 *Act.* aſſerit Conr: *In illo* NB *vago ac promiſcuo Judicio, majorem eſſe numerum imperitorum & malorum.* Et jam verò ipſe Conr: ad ejusmodi *vagum promiſcuum Judicium*, illâ ſuâ *Act. Injur.* tàm ſine certo Judice quàm ſine Jure publicatâ, cauſam ſuam referens, quid aliud manifeſtò, quàm *imperitorum & malorum numerô*, vincere voluit è propriâ confeſſione? idque eâ, quam ſubjungit ſpe, *ibid.* quod *publicè quidem factæ ſint injuriæ*, (inſpiciatur modò quâvis paginâ Vindicatio Conringiana), *ſed* NB *ſententia nulla ſequatur publica*: *Decretum ne expectare quidem liceat.* Hanc voti

voti Conringiani ſummam, qui è ſuperioribus nondum videt, is oſtendat modò velim, ubi & quomodo Conringius *Decretum expectârit*; ubi *ſententiam ſequi publicam*, conſtanter voluerit; & erit mihi magnus Apollo, & vel ipsô major Conringiô, qui id non poteſt oſtendere.

§. 27. Pag. 24 *Act. Inj.* Conringius ait; *Se Vindic. ſuam, totamque adeò cauſam, incluto Senatui Illuſtris Academiæ Kilonienſis dijudicandam commiſiſſe*; (ſcil. Judicem poſcens, dum ipſe pridem *Retorſione* ſibi jus dixerat, ipſomet ſuprà gloriosè faſsô, *in Lit. ad Sereniſſ.*). Sed cur verò quinque aliarum Academiarum Lutheranarum, (dum noſtram *Principali mandato prohibitam* rectè narrat Conr: *l. c.* ſcilicet quia nullâ Collegarum defenſione me egere, Clementiſſima Principis mei fiducia de me fuit, quam nec fruſtratam in eo, Divina dedit gratia), cur, inquam, illarum & tot inſuper aliorum Summorum Virorum, publicas pro me ſententias, omni ex parte ſummè concordes, (ceu patet ſub calcem Anti-Conr:) minùs valere hic vult Conringius? Nonne meræ tricæ, & manifeſtiſſimæ tergiverſationes ſunt, hominis hâc in causâ condemnatiſſimi à ſemet & aliis omnibus? Quæ ibidem aliæ ſequuntur, *pag.* 24, 25, 26, inſidioſæ argutiæ, pro excuſandâ deſertione ſuâ Summi Judicis Gottorfienſis, ſuperiùs jam § 13 ſusè diſcuſſæ, & meræ *Eluſiones Sophiſticæ* revictæ ſunt.

§ 28. **Porrò** *pag. 26 Actionis Inj.* cavillatur Conringius *biennalem parturitionem novi fœtus Waſmuthiani*; è ſuo calumnioſæ chartæ *Vindicatoriæ* extemporali & monſtroſo abortu, alterius honeſtæ & maſculæ ſcriptioni modum ſtatuens: cujus verò utriusque diſparitatem ſummam, vel hinc frendens & ringens experiri cogitur Conr: quod ipſe nunc ne *decennali*, imò ne *vicennali*, aut ampliori *parturitione*, hunc *biennalem fœ-*

tum vel infirmare ullâ ex parte vel elidere iterum possit: sed magnô demum damnô ac dolore suô cognoscere oporteat, verum esse illud Hebræorum, מתון מתון כמה וזין שויא *cunctatio, cunctatio, quot valet denarius*! quod in *Apologet.* meô jam monueram: & rationes sat graves variorum impedimentorum meorum allegâram, *in Proœm. pag.* 44: verùm Conringio cum *cane festinante cœca parienti*, nihil satis festinatur: quamobrem ipse nunc incidit in alterum illud, המהירה מביאה אל החרטה *Festinatio parit pœnitentiam.*

Eâdem *pag.* 26, fatetur ipse, *Apologeticum meum ipsi obvenisse, cis paucos dies*, ante editam ipsius *Act: Injur.* Sed cur ergò non erubuit hominum pervicaciſſimus, incredibili prorsus stupore, prioribus suis, illis confossis, jugulatis, protritis, & excalcatis, firmissimè denuò insistere, vel potius desperatô occallére? dum ne minimam responsionis (nedum satisfactionis) umbram, ad tot ac tanta mea rerum momenta afferre potuit: ut planissimè credam, hominem esse è priscis Persarum Prætoribus, aut horum certè familiâ, *quos NB nullas verborum suorum rationes edidisse, in Talmude Bava bathra, f.* 173, memoratur. Nisi quod prætextum tamen hunc ejus neglectus sui quærat Conr: quod scil. per præpotentia *negotia* sua non nisi *obiter inspicere* illa mea *licuerit, l. cit:* unde & timidiusculè *duos EXIGUOS libellos* modò obmurmurat, *si* scil. *ei visum fuerit, pag.* 28. Sed hanc ipsam compendiosè refutandi Sophisticam, (quâ *ipsâ spissitudine quasi terribiles sibi libros, se pacis studio non refutaturum*, hypocriticè prætendit fucatæ *Pietatis Scriptor*, quoties plenior rerum tractatio conscientiæ ejus silendi necessitatem imponit, qui aliàs in brevicula ipsi superabilia visa, irruit quasi œstrô percitus, nullâ vel memoriâ *pacis*), jam solennissimè occupa-

occupaveram, *pag.* 52 *Anti-Conr*: ne modò talem mihi ludum facere nimis puerilem Conringius præsumeret; cùm non nisi masculam & ingenuam scriptionem, ipsa rei sanctæ gravitas & magnitudo requirat; nequaquam verò tale permittat *Compendium*, quale *pag.* 28. *Act.* Conringius minatur veri dispendium. Tùm quod de *negotiorum* suorum *gravitate* fabulatur *ibidem* occupationum Monopola; mirum est, non pudere hominem, alia sua sive *Politica* sive *Medica* graviora æstimare iisce sanctioribus *Hebraicis*, quasi *obiter* modò *inspiciendis*: cùm potiùs hæc non satis capiens Conringius prorsus abstinere imperitâ curâ debuisset Medicus, quàm sua iis ulcera affricare, quæ nunc *obiter inspiceret*, non *obiter* tacta ab eô, quem publica muneris religio jubebat ταῦτα μελέτᾶν, ἐν τούτοις εἶναι *haec meditari, in his esse*, 1. *Tim.* 4, 15. ceu hujus quoque sanctionis Divinæ fulgore ipsa Operis Polyglotti Parisiensis Inscriptio coruscat.

§ 29. Et quid ergò ampullatur porrò, *eâd. p.* 26, illa ventosa (vel & ventriosa tot Regnorum Secretis) hominis persvasio, quod non nisi *Alius accuratiùs perlustranda* hæc inter nos quæsita divinarum rerum momenta commiserit, quasi aurium modò non oculorum suorummet judiciô dignanda? sed quorum veluti umbram solùm ad se tantus Politicus perferri jusserit, unô facilè halitu dissipandam. At profectò si vel omnibus Indiarum Regnis, Homo πολιτικώτατος præpotentibus suis consilijs, (quibus tot ferè aliis consuli vult, ut sibi ampliùs ipsi consulere nequeat), providendum haberet; hæc ipsa tamen omnia, umbra, nebula, *aut si quid vilius istis*, in comparatione forent ad hæc diviniſſima inter nos controversa ζητήματα, omnibus semper Piis & vel Summis quibusq; summi æstimata. At hinc vero illæ lachrymæ mi Conringi, & hinc illa nunc fastuosi Nominis tui clades irreparabilis ad omnem posteritatem;

quod hæc omnia alienis oculis hactenus videre malueris, & alienis auribus accipere ab iis, qui ipsi cæci & surdi hâc in parte revicti dudum erant in *Vindiciis* meis, sed quas *adire* tu jubes, *cui vacat*, *in Vindicatione pag.* 20; unde verò & tu nunc *vacare juberis* egregiè vapulans, & meritò quidem, faxit modò DEUS ne æternùm. Quid enim? an satis nondum erat, eò jam impietatis & nefandæ conditionis deventum esse, ut S. Textus Hebræus flagitiosis illis hypothesibus Capello-Vossio-Morino-Waltonianis planè destructus, tàm ratione Authentiæ suæ divinæ in Literis, Vocal. & Accentibus, quàm illibatæ *Integritatis* & absolutæ *certitudinis*, funditus interiret? ni i & Conringius insuper accederet è nostratibus, qui eundem S. Textum Originarium, quasi per ludum quendam & jocum aut *bellum Grammaticale*, vel NB per *Oratoriam libertatem*, æquè nefariè tractare permitteretur? imò quod atrocius, planè S. Codicem Hebr. removere à publicô Ecclesiæ usu auderet? veluti qui *Nunquam post Concil. Nicænum in sacrum usum olim fuerit adhibitus, sed* PERPETUA *Ecclesiæ consensione*, UNÆ, SOLÆ VERSIONES *sufficerint; Ex illis* SOLIS, NB OMNIS SACRA INSTITUTIO *sit accepta? dum* SEMPER ET UBIQUE, VERSIONIBUS *etiam minùs perfectis usa sit Ecclesia Dei*, in Ep. Gr. à p. 25 usque 35: idque eô fine latè peroretur, (vid. *Anti-Conr. p.* 470 471, *seq.*), ut & nunc igitur *Novam* Sauberti *Versionem*, AD CERTITUDINEM IN OMNI VITA HUMANA *sufficturam credamus*, *ceu quæ* AB ERRORIBUS IMMUNEM IN QUIBUSVIS (plusquam Papali ἀναμαρτησία) *præstare Lectorem queat*, (vid. *l. cit. p.* 471)? *Nec* ergò nunc ampliùs *ab Ecclesia Presbyteris in Amplissimo Ducatu*, *Græci aut Hebræi sermonis scientiam exigi opus sit*, QUOD ALIBI SOLET? sed & DOCTORIBUS ECCLESIASTICIS *ad Bella Domini seriò depugnanda*, *Novam illam Versionem satis fore:* statuatur? &c: quô scil. non solùm *Presbyte-*

byteros suos deinceps, sed & *Ecclesiæ Doctores*, inter *Molossos insciticæ* censere possit Conringius; (cùm & B. Lutherus jam olim illos, sed NB Linguæ S. Hebrææ imperitos, PECORA CAMPI & INDOCTUM VULGUS, *in Com. ad Ps. 45*, publicè idque jure optimô declarârit; quod & iisdem hodiè non paucis per talia principia Conringiana proh dolor! jam existentibus, crebrò πρὸς ἐντροπὴν *ad pudorem*, imò πρὸς βίαν *ad vim usq;* inculcandum est: siquidem & audientes hæc sæpè vel legentes, ita animum nihilominus obdurant, ac si non constet publicè, nec ipsos attineat, talia de ipsis non latentibus dici & scribi, dummodò sublimi functione & altô supercilio mulceant barbam). An ergò hæc & plurima similia inter nos controversa, adeò levia sunt titivillitia, quæ Stentoreus ille Ampullator, adeò alienos modò ad oculos, ut vix ad proprias aures admitteret? quæ *accuratius perlustrare*, infra Politicæ suæ phantasiæ majestatem statueret? Phui pudendam jam tùm Seculi barbariem! támque fastuosum fucatæ *pietatis Scriptorem*!

§ 30. Quod ampliùs *p.* 26 *Act. Inj.* Conringius, me OMNEM *Academiam Juliam atrocissimis contumeliis affecisse*, atrociter criminatur; ea Conringiana quædam Veritas est, ne Politici *Mendacii* vocabulum imiter. Nam quod in *Anti-Conr: pag.* 486 dixi, de *Hominibus talis Scholæ, in quâ antehac quidem utrumque studium tàm Linguarum Sanct. quàm Philosophiæ ex æquo floruerit*, teste ipsorummet D. Calixtô ibid. allegatô; nunc autem totô cœlô diversum in eâ docere publicè permittatur Conringius, quod inquam, illi in eô *Gloriæ suæ maculam inusserint, & filios seu discipulos suos rejectitios reddant, ex Eccles. c.* 47, hæc adeò nulla injuria est in eos qui reverà culpæ talis rei sunt, ut vel etiamnum OMNEM *Academiam Juliam* ipsammet addicam Judicem, & hôc ipsô publicè rogatam velim, ut tàm super hôc

hôc ipsô capite, quàm & totô meô Anti-Conringiô, ex conscientia suâ Supremo Judici olim approbandâ, publicum ferant Judicium, & in scripto saltem ad me mittant, adjugendum publicè (quod firmiter stipulor) reliquis Suffragiis Anti-Conringianis, qualecunque etiam fuerit: nec enim ullus mihi persuadere valeo, omnes Dnos Professores Helmstadienses se à communi Ecclesiæ Orthodoxæ in hisce consensu, (partim Suffragiis illis jam obtentô, partim è publicis reliquorum scriptis satis notô), se separaturos, quoad Lutheranæ Ecclesiæ Membra haberi constanter cupiēt, ceu sperare nos jubet amor. Quos verò *Duumviros*, *Georgium Calixtum & Conradum Hornejum* (Palladia duo Helmstadiensia), *contumeliâ à me affectos*, queritur Conr. *l. c. p.* 26; commissum volo judicio Lectoris, annon jure meritô, illos Conringii *Magistros à quibus ipsam puerum istbæc sua* (heterodoxa pessima) *didicisse*, ille gloriatur *p. 18. Vind:* excipere eâdem operâ debuerim, quâ ipsum eorundem Discipulum Conringium. Quin vel ad ipsos Dnn. Professores Helmstadienses, ut antehac in *Anti-Conr. p.* 439, ita nunc denuò provoco Judices, an quicquam jure desiderare possint in iis omnibus, quorum vel D. Calixtum redargui; cùm vel *pag.* 182 *Anti-Conr.* eundem *Pontificii Scripturæ S. contemptus* inculavi, quod *Nemini dari posse crimini* docuerit (in *Resp. cont. Mog. Th.* 75.), *quod* NB *Canonicam auctoritatem alicujus scripti* (Canonici), *particulæve ejus in dubium vocet, aut* PLANE NEGET; *si dubitandi ratio fuerit*, (quasi hanc obtendere non cuivis fanatico nimis in proclivi sit): vel cum *classica* aliquot *Scripturæ S. loca*, in pari censu cum *Manichæanâ quâdam laciniâ Evangelii* locat Calixtus *l. cit.* & disertè *integros quosdam Script. S. libros Canonicos*, *dubios* pro illa suâ sententiâ recenset *è Patribus*, vid. *Anti-Conr. l. cit*: Vel cùm & D. *Calixtum*, & D. *Drejerum*, atque

atque D. *Calixtum Jun.* meritò reprehendi, quod *sensum & intelligentiam veram Script. S. suspendant à* NECESSARIA AUTORITATE *Ecclesiæ, & consensu antiquitatis veluti sensus normâ*; eumque *pro Apostolico habendum esse*, contendant, *qui è scriptis Doctorum veterum Ecclesiæ erui queat*; D. Drejero disertè eum *Scripturam explicitam* vocante: vid. Anti-Conr: *p.* 431, *seq.* Quod adeò absurdum, ut & ipse D. Hornejus illam suorum consortum sententiam non solùm *falsam*, sed & HÆRETICAM, STULTAM & ABSURDAM damnet, *in Disp. de Interp. Sc. pag.* 202, 203; (conf. in *Anti-Conr: p.* 428, refutantem eadem Dn. D. Titium): quamvis tamen & alibi cum iisdem iterum facere D. *Hornejum*, clarè probaverim in *Anti-Conr. p.* 444 & 445: prout & *Calixtum Sen. & Jun: Drejerum* & *Hornejum* subinde sibi ipsis, vel & invicem mutuò, è diametrò adversari, maximè verò ipsi æternæ Veritati, (in hisce summi momenti quæstionibus de *Script. S. ejusque sensu & Autoritate*, in non leve Atheismi & & Syncretismi præsidium), fusè ostendi, l. cit. *à pag.* 447 *usque* 457. Tum quàm amicè cum Conringio conspirent ipsius *Magistri*, D. *Calixtus* & D. *Hornejus*, in *vilipendendo Linguæ S. Hebræa studiô, & sufficiente Theologis Versionum usu*, (damnandô certè præjudiciô deserti plus nimiò S. Fontis Hebræi), latè jam recensui in Anti-Conr. *à pag.* 486 *usque* 487. Quod si ergò ullô horum omnium, quicquam injuriosæ *contumeliæ* illis à me illatum, criminari adhuc sustineat quisquam; is velim in publicum modò prodeat, & sic loquatur ut eum videamus: & brevi talem falsi Promachum, clara vis veritatis & omnium Orthodoxorum consensus ita contundent, ut in Conringiana illa retractationis latibula Discipuli juxtà cum Magistris se sint prorepturi.

§. 31. Quos ampliùs *pag.* 27, *Act. Inj. Saltem duos* adhuc

EXIGUOS LIBELLOS minatur Conringius; *quorum ALTERÔ perpetuam Ecclesiæ imprimis Evangelicæ secum consensionem, ALTERÔ improbitatem Wasmuthianam secundâ vice Orbis Judicio submittere velit*: Si me audit, differet modò tales novos *Libellos*, donec meo prius Anti-Conringiano *Libello* sec. singulas §§ ex asse satisfecerit. Ab hôc scopô & argumentis aliena NB non sustineo à te audire Conringi; nec enim extra ea mihi quicquam tecum est negotii, & alium quærere potes, cui *exiguos* centones tuos farcias, cui tua ἑτεροζητήσεων diverticula nectas. Mecum sanè per instantias agas oportet, vim rationum mearum excutias, & diluendi aut asserendi ostendas vitia: alioquin nihil proderit tibi vana verba effundere, quibus modò te ipsum tantò magis ἀυτοκατάκριτον in conscientiâ toti prodis Erudito Orbi; qui jam tùm mirabitur, quî tantâ ambitione adhuc spes tuas donare potueris, ut integros adhuc *duos Libellos* sis minatus. Et quid enim novô ære nova tibi adaugeas nomina, qui prioribus dudum non es solvendis? An aliud quàm eandem cramben recoques, quâ me juxtà & Orbem Eruditum longissimè fugere facias Δὶς κεράμβην θάνασον? Quod si reverà ac seriò laboras de *Ecclesiæ imprimis Evangelicæ consensione*: en jam ultrò eandem omnem à me stantem in Anti-Conr. *à pag.* 200 *usque* 206, item *pag.* 315 *seq. & p.* 430, 439: quin vel in ipsis tot Celeberrimorum Censorum undequaque concordibus pro me *Suffragiis*, *sub calcem Anti-Conr.* ubi reperies illam abundè. Contrà verò, *consensum* tecum, (non Ecclesiæ Evangelicæ, sed) *Pontificiorum*, *Socini*, *Episcopii*, *Cappelli*, *Morini*, *Vossii*, illorumque *Autorum du Journal Parisiensium*, promptè pariter invenies in totô meo Programm: atque toto *Cap. III. Anti-Conr.*: speciatim *à pag.* 183 *usque* 186; item *p.* 230, 235, 236, 371, *seq.* 379, 380, 381, 386, 396, 435 *usque* 439, *& à pag.* 443 *usque*

que 457. Pariter si de *improbitate Wasmuthianâ* aut *Conringianâ* potiùs accuratè cupis informari, *inspicias saltim obiter* more tuô, aut jubeas *alios accuratiùs lustrare*, (nam & hoc soles, *pag.* 26, *Act. Inj.*) totum Cap. IV & V Anti-Conr: mei; & videas, numne collatione illorum omnium fideliter institutâ, magnam jam tibi partem *tuorum exiguorum libellorum* ultrò affectam à me habiturus sis; quare de imminutô tibi novæ scriptionis labore, cum Poetâ vetere occinere queam,

O Tite, si quid ego adjûro, curamve levâsso,
Numquid erit pretii?

Quamprimum ergò novi illi tui

Parturient montes, nascatur ut EXIGUUS *mus*,

indiculum huic tantùm (ubi prodierit) pro nolâ appensurus sum, quem promisi *in Anti-Conr: p.* 528, scil. *omnium illorum ad quæ mihi Conringius è Tacitô suo responderit; vel quæ ejus noviter mota nihil me attineant, ceu à me non impugnata; vel quæ jam tum responsionibus sufficientibus à me sint occupata, &c*: quorum ergô omnium confessè tunc agnitorum, ipse Te mihi vel Orbi Erudito vadem & testem es daturus, quo minùs à me denuò scriptionis aut refutationis operam ullam mereantur. Interea Eleusis servabit, quæ gravis adhuc premis comminator: & tàm diu tamen silentiô publicè fateri cogêris, quod voce confiteri adhuc erubescis, scil. Te *Heavtontimorumenon* esse *in Causa Anti-Hebræâ*: unô hôc saltem solandus levamine, quod sit tamen etiam ubi Tu vincas & triumphes, scil. in convitiorum & contumeliarum campô, nemo Te existet superior: in istô solus currens, ritè *τὴν ἐρήμην νικάσεις desertam viceris causam*, scil. *Sycophantiarum, injuriarum*, & *indulgentiæ* SCELERIBUS *concessæ, pag.* 28 *Act. Inj.* Quêis vel furor ipse dat veniam.

§ 32. Eâdem *pag.* 27 *Act. Inj.* gravatur Conr: *Nonnullos* NOVA FIDE CONSENSUALI *infectos*, (1) *Articulorum unum feciſſe*

de omnimodâ integritate Sacri Codicis. Apparet hinc ergò clarissimè, Conringium & consortes NOVA FIDE DISSENSUALI (ab omnibus aliis Orthodoxis) & CONSENSUALI cum *Socino, Episcopio, Arminio, Cappello, Morino, Pontificiis, & Weigelianis*, (ceu patet in Anti-Conr. passim) *infectos*, primum *Articulum* constituturos esse aut jam constituisse potiùs, de NON *omnimodâ integritate S. Textus Hebræi* (è ratione oppositorum); sed quod potiùs (è principiis Helmstadi adstructis), *longi ævi* VITIÒ *& Librariorum culpâ* USQUE ADEÒ *jam olim dissenserint & nunc dissonent Exemplaria S. Hebræi Codicis, ut* UBIVIS id quod est *genuinum à* CORRUPTO *discernere, sit amplius ἀδύνατον*, ex Epist. Gr. Conr: pag. 15: item quod *LXX Versionis discrepantia* (scil. NB *infinitis in locis pag. 27 ibid.*) *ab hodierno S. Textu Hebræô, arguat exemplarium veterum Hebr. ab hodiernis Hebræis tantam diversitatem*, (*infinitis* ergò pariter *locis*), ex eâd. *Ep. Gr. p. 13:* Item, quod ALIÆ *olim Vocales, aliæ Consonantes*, (è quibus verò Textus S. constat), *& alius paulùm ordo*, fuerint, ex eâd. p. 15: quod *jam perquam diu in S. Cod. Ebr. extiterint* 848 *incerta Keri & Ketif*; (de quibus seriò pigere Conr. queat, *inspectò saltim obiter Anti-Conr. à p. 236 ad 368*); tùm *& aliæ var. lect.*, (quas *universales*, dolosè sub concessis *particularibus* urgent illi imperiti vel malitiosi Hebræo-mastiges) ex eâd. p. 18, 19: quod VOCUM *Hebræarum acceptio longô ævô* TOTA *perierit*, ex eâdem p. 22: quod SOLA *traditione eâque Judæorum dissentientium constet, quid singulæ voces significent*, ex eâd p. 22 & 52: quod *Sphalmata nonnulla mnemonica, in NB narrandis iis quæ evenêre*, (non unô vel alterô tantum apiculô) *à Sacris ipsis Scriptoribus non fuerint aliena, Doctorum & piorum quorundam cum nonnullis Sanctissimis Patribus consensu*, ex eâd. p. 33: quod & *Solâ traditionis fide constet, quæ Scripta sint Prophet. & Apostolorum*, ex eâd. p. 52. Hæc ergò omnia primum & principalem Conringio & Asseclis constituent Articulum NOVÆ

FIDE

FIDEI DISSENSUALIS ab Orthodoxis, *& consensualis* cum Hæreticis sup. citatis, unô verbô SYNCRETISTICO-BABELICÆ: idque magnô Duce & Antesignanô Scriptore *Pietatis Helmstadiensis*, ceu singulas ejus paginas jam hìc allegavimus, & totidem PARADOXA ejus nefaria & pudenda, fusè refellimus in Anti-Conr. *totâ Sect. I. Capitis III.* (2) Gravatur Conr: *l. cit.* quod à *D. Calovio in Wasmuthi fortè gratiam accesserit alter Articulus* (scil. novæ *fidei consensualis*), de *Peritiæ Ebraicæ ad sacra studia pra Philosophiâ necessitate.* Ex oppositô nunc igitur denuò liquet evidentissimè, Conringium & consortes *Novâ fide Dissensuali* SYNCRETISTICA *infectos*, ejus ergò Articulum secundum facturos esse vel potiùs jam fecisse, *Minorem peritiæ Ebraicæ*, (adeóque & S. Textus originarii), *ad* NB *sacra studia necessitatem quàm Philosophiæ*: ceu jam tùm noster Hebræo-mastix, (*Dissensualis* ab Orthodoxis), *Non aliâ certitudine, non aliâ fide etiam ex Originario Fonte quid accipi posse ac è Versione*, scil. *humanâ fide*, quæ *infallibilis sit*, fabulatur fanaticè, in Ep. Grat. pag. 51, 52: tùm quod *Versio satis sit in Ecclesiæ usum, perpetuâ consensione Ecclesiæ*, SEMPER ET UBIQUE; *quò minùs S. Codicem Ebraum adhiberi* opus fuerit, ex eâd. pag. 25, 26, usque 32: *Nec proinde ab Ecclesiarum Amplissimi Ducatus Presbyteris* (indefinitè) *Græci aut Ebræi sermonis scientiam exigi, quod alibi solet: cùm sufficiat in* OMNI VITA *humanâ Versio nova* Saubertiana, (*ab erroribus immunem præstitura in quibusvis*), etiam *Doctoribus Ecclesiasticis, ad bella Domini seriò depugnanda*, ex eâd. p. 50, 44, 52: ceu ista omnia PARADOXA *Conringi*, Ecclesiæ nostræ summè perniciosa, & barbariei veteris illicia nova, revici in Anti-Conr: totâ *Sect. II Capitis III.*

§ 33. Jam seriò perpendas mihi velim Lector honorate, quisquis ullô tangeris DEI, Verbi, & Ecclesiæ ejus amore, illa duo *novæ Dissensualis fidei Babelicæ* fundamenta, scil. (1) *Non omnimodam integritatem & certitudinem S. Cod. Ebr.* ceu *S.*

Scripturæ Orig. (qui Judex Supremus & unicus esse debet controversiarum Theolog.) & (2) *minùs necessariam ejus quàm Philosophiæ, ad studia sacra peritiam, in Presbyteris & Doctoribus Ecclesiasticis*, (ut suprà vidimus), quæ Syncretistico-Samaritanæ Religioni substernenda stabilivit pridem Helmstadiensis noster *pacis sine veritate* (contra Zacharianum illud monitum, cap. 8) *amator*, & *pia erga NB licet dissentientes caritatis* (*in Vindicat. p.* 28). commendator impius: annon reverà illa omnia asserta ejus tendant in præsentissimam Religionis Orthodoxæ perniciem, per convulsum sic funditus unicum omnis Orthodoxiæ infallibile principium & judicem, perque hujus imprimis neglectum ab iis, quorum *labia custodire illud debebant, ut ab ore eorum ceu Legatorum DEI requiri posset* immediata DEI lingua, *Malach. c.* 2, *v.* 7: qui verò nunc novô desidiæ & ignorantiæ asylô Conringianô ita muniuntur, ut apertè etiam profiteri non erubescant, (præeuntibus sæpè proh dolor! iis, quorum ignorantia nihil magis cavet quàm aliorum peritiam velut suum opprobrium), se tantùm *Capellanos* fore *oppidanos, aut Parochos paganos: ad quid ergò sibi illa Linguarum sanctarum studia, Rusticis non profitenda*? cùm eâdem operâ illi Boves & ignavum pecus citiùs quàm Pastores futuri, omnibus liberalibus studiis, & Logicæ atque Physicæ, ipsique Latinæ Linguæ, (quod & jam proximè expectatur), nuncium remittere possent, cùm & ea non magis apud Rusticos suos sint professuri. Et rectè Hornej. *Disp.* 1 *de Nat. Theol. pag.* 17, *Etsi quæ in Scholis traduntur, in suggestum omnia transferri nequeant, non tamen propterea negligenda sunt, tùm quod ex iis hauriantur, quæ in templis proponuntur, tùm ut sana doctrina contra errores*, &c: Ex hâc jam verò deplorandâ imò detestandâ ignaviæ φάσει, in Academiis hodiè plerisque dudum evenire videmus, ut præ 20 aut 30 Collegiis Philosophicis, vix unum aut alterum

rum Linguæ Sanctæ haberi audiatur; aut si quid tentent aliqui, nihil atrociùs caveant, quàm ne ultra *Schickardianam Radicis extractionem* promoveant pigri; nam nec *Præpositos suos, aut Superintendentes, magnos Doctores aliquando, plura didicisse, quales ipsi vix futuri sint.* At interim verò videmus subinde tales socios & fratres ignorantiæ, meros Postillatores, vix literas Hebræas satis doctos, nihilominus supremas deinde affectare quasque Dignitates, (& quid si etiam Theologicas aliquando Professiones), qui alios tunc meliora doctos omnibus premunt modis, ne sint qui ipsos de imperitiæ possessione dejecturi metuantur. Atque hoc ipsum post initia statim Reformationis strategema Diaboli fuit pessimum, quô is *Linguis S. obstare non valens, præcipuè cogitavit, quomodo saltem* AD PAUCISSIMOS, (Professores tantùm Hebræos, & hos quoq, ipsâ paucitate cultorum brevi defuturos), *relegentur, quò per se tandem NB sterili paucitate cogente; arescerent denuò & conciderent: cùm enim NB parum gratus hospes esset Diabolo Linguarum peritia, propterea eum frugali culina tractare decrevit, ne diutina mansione premeret hospitem*, ut graviter B. Lutherus queritur *in Admon. ad Mag. Tom. 7. Witteb.* Et talis quoque præsens est, (è disciplinâ nostrorum Hebræo-mastigum, quod nunquam satis dequeri possumus), facies passim nostrarum Academiarum; sic communiter studetur: & sic magnis passibus reditur ad veterem Ægyptum, illam scil. pristinam Barbariem, quâ Scholastici quidem & Aristoteles satis imò nimis noti erant, verùm *Græcè nosse valdè erat suspectum; Hebraicè autem, propè pro hæretico fuit habitum*, narrante Sixtino è Claud. Espens.

§ 34. Denique *pag.* 28 *Act. Injur.* Conringius (1) *Non consultos à Wasmutho* dicit *eos, qui libellos ipsius ritè expenderint.* Sed cur ergò Conringius ipse tales non consulit, quos *ritè expendisse suos libellos* novit? Cur non vocales facit suos tàm mu-

tos

tos adstipulatores, non nisi *gannitu vocis adulantes?* ut publicis judiciis etiam *ritè expendi* illi *ritè expendentes* possint. Sed quàm vereor nimis, ne Sabini quod volunt somnient; & scenam sibi instruat Conringius tàm sine actione quàm plausoribus. (2) Vel *consultos, hominem non dignatos esse responso*, ait *l. cit.* vel *ita respondisse, ut* STCOPHANTA *non fuerit ausus responsa illa, paucis suis quæ jactat adjungere*, ibid. Id sanè si à quibusdam foret factum, ut

Occurfare capro, (cornu ferit ille), caverent;

an mirum erat? siquidem ipse Conringius *in Act. Injur. p.* 22, fatetur, *Quotusquisque velit irritare furiosos crabrones?* Sed nihilominus hâc quoque spe omni nimis frustratum esse nostrum Hebræomastiga, necesse est reipsa ostendam. Namque *consultos* à me plures (quàm hactenus edidi publicè), Censores integerrimos, *responsis* suis me *non dedignatos* esse, partim & secuturi adhuc suffragii ulterioris spem fecisse, probabunt seqq. *Excerpta* saltem Literarum, cùm integrarum semper earum editio prolixior, sumptus modò adaugeat præter necessitatem, in re vel sic dudum clarâ ac liquidâ.

§35. Excerptum è Literis Admodum Rever. Dnn. Theologorum Acad. Regiæ Svec. Upsalienſis, *sub dato* 20. *Aprilis An.* 1669.

Gratiam & Pacem!

Admodum Rever. Domine Doctor Matthia VVasmuth,
Domine, fautor & amice pl. honorande.

MEnses aliquot excurrunt ex quô in Sveciam nostram perlatæ sunt Rev. Dignitatis Tuæ Literæ, quibus Eruditorum in patria nostra sententiam requirit super controversia sibi intercedente cum D. Hermanno Conringio, Professore Helmstadiensi

ensi Clarissimo, de *certitudine ac integritate Sacrarum Scripturarum, suoq; officio Elenchtico.* Quod hactenus dilatum sit responsum, debitum
NB humanissimæ compellationi Tuæ, ac dignitati negotii, ejus rei excusationem ac præsidium nobis in eô paratum judicamus, quod transmissarum ad nos Literarum ea esset facies, quæ sollicitaret non solùm Ven: Facultatem nostram Theologicam, sed & Reverendiss. Archi-Episcopum & plur: Reverendos patriæ Episcopos reliquos. Judicavimus igitur non nisi communicatis cum iis consiliis & communi nomine respondendum esse. Quia verò intelligimus, non nisi interjectâ majori morâ ex locis in patria dissitis comportari posse eorum sententias, & fortè non pauci desiderabunt de totius Operis contextu pleniùs informari; voluimus igitur nos in antecessum paucis hisce defungi nostro Scriptionis officio. Ex animo dolemus, controversiam illam de *certi-*
NB *tudine Sacri Codicis*, quæ hactenus unanimi Orthodoxorum consensu
„ contra dissidentes est adstructa, nunc intra Ecclesiarum Evangelica-
NB rum pomœria sub disputationem revocari. Unde major indubiè na-
NB scitur occasio adversariis, non solùm cavillandi doctrinam Evangeli-
„ cam, ac exprobrandi domestica nostra dissidia, sed & sollicitandi ac
„ impugnandi Originarias salutis nostræ Tabulas: quarum autoritas
NB ac certitudo, si titubare cœperit, in confesso est fidem pariter ipsam
„ titubare. Non igitur possumus non probare cùm aliorum, tùm im-
NB primis Rev. Domini Doctoris diligentiam ac studium, quod & ipse-
NB met impendit, & ab aliis impendendum judicat conservandæ integri-
„ tati ac certitudini sanctæ Veritatis Hebraicæ. Cujus conatum etiam
„ eô nomine debitâ commendatione prosequimur, quod intelligamus,
„ eum in id niti velle, quod pauci hactenus tentare ausi sunt, ut utraque
NB lectio, τῆ scilicet קרי & כתיב, tanquam genuina, proba & au-
„ thentica, in textum sacrum recipiatur. Adplaudemus verò illi institu-
„ to prolixiùs, cùm nobis videre contigerit rationes illas, * quibus as-

K ser-

* Cùm submiserim interea ad Pl. Rev. Dn. Theologos Upsalienses reliquum mei Anti-Conringi, inde procul dubiô jam viderunt multas gravissimas rationes illi assertioni meæ fidem abundè facientes, scil. *Cap. III à pag. 236 usque* 368; quas & invictas hactenus perstare, cumque DEO porrò perstituras, firmiter confido. Conf. & inf. § 39 sub finem.

„ sertionis illius veritas adstruitur. Est ea sive locorum nostrorum conditio, sive Bibliopolarum negligentia, ut scripta vestra seriùs quàm optaremus ad nos perferantur. Per quem defectum impedimur etiam &c: &c: Quod superest, deferimus Rev. Dignitati Tuæ officiosam gratiarum actionem, quod amicâ scriptione suâ nos invisere voluerit, & nobiscum communicare, quæ in negotiô illô acta sunt. Rogamus, velit DEUS O. M. instruere plur. Rev. Dn. Doctorem iis corporis & animi viribus, quibus sussultus in seros annos sufficere possit eximiis laboribus, quibus literaturam imprimis Hebraicam ornare aggressus est. De cæterô sumus & porrò erimus Rev. Dignitati Tuæ ad debita officia prompti & parati.

Dabamus Upsaliæ, 20. April. An. 1669.

Decanus, & Professores reliqui Facultat. Theol. in Acad. Upsal.

§36. Sequuntur Literæ Adm. Rev. Facultatis Theologicæ in Illustri Acad. Tübingensi.

WolEhrwürdiger / Hochgelahrter / Großachtbahrer ꝛc.

DEmselben seyn negst Fr: Gruß unsere allezeit bereitwilligste Dienste zuvor / Sonders geehrter Herr und Mittbruder in Christo.

Was Ew. Excell. den 18. Julii dieses bald zu End lauffenden Jahrs in puncto dero Anti-Conringii, unser Censur hierüber zuvernehmen / vertrawlich an uns haben lassen gelangen / sampt einem noch uncomplirten exemplar dieser Schrifft / das ist uns zu recht eingeliefert
NB worden / haben auch nicht unterlassen umb Wichtigkeit Willen dieses
„ Wercks mit dem Fürstl. Consistorio zu Stuttgart zu communiciren /
NB Deme so wenig als uns / die begehrte Censur, solche zu ertheilen entgegen
„ ist / fals wir die noch uncomplete Schrifft complet, auch die Defect-
„ Bogen / nemblich C. D. E. F. G. H. so sich à pag. 72 ad pag. 121, darinnen befinden / ergäntzt und beysammen werden haben: Deswegen solcher Ergäntzung erwarten / als den Ew. Exc. mit unserm geringen Judiciô,
NB der Warheit zu stewr / besten Vermügens an die Hand zu gehen. In dessen

sen Ew. Exc. GOttes Gn. Schutz / Uns aber zu dero beharrl. Mittbrüderlichen affection empfehlend. Geben zu Tübingen / den 22. Decembr. Anno 1668.

Ew. Excell.

Dienstwillige
Assessores der Theologischen Facultät daselbst /
Decanus und Professores deroselben.

Ab ejusdem Academiæ Magnif. Dno Cancellario adjunctæ fuêre seqq.

Ευπεράτειαν!

PL. Reverende, nec non Excellentissime Vir, Professor Universit. V.æ Celeberrime, Confrater in Christo dilectissime: Infelicem nostram Facultatem in hâc nostra Universitate deputem, quæ nacta sit occasionem necessitudinis cum V.a Excell. ineundæ tàm honestam, & Ecclesiæ proficuam, eam autem, nescio, cujus incuriâ, cùm capillata esset, in calvam desiisse. En literas superiori annô in Causa Anti-Conringianâ à Facultate nostrâ ad Excell. Dom. datas, sed à quôdam ministro, ut eas postæ ordinariæ traderet, turpiter neglectas, & instantibus proximè dilapsis nundinis deprehensas: ex quibus promptitudinem no-
NB stram Excell. V.a colligat, quâ calculum nostrum exasciato & limatis-
„ simo ejus Scripto adjicere fuimus parati. Omninò obviandum esse pu-
NB tamus cerebris, quæ non necessariò novaturiunt, ad turbandam potiùs quàm juvandam & ædificandam Ecclesiam: DEUS erit retributor
NB laboris, quem Excell. V.a huic scripto impendit, quod tàm vendibile est, ut hederâ nostri Judicii non indigeat. Promittimus Excell. V.æ officia confraternitatis nostræ in Salvatore nostro nullo non tempore ad extremitatem virium parata. Quam denuò valere, & quod facit, Facultatem nostram amare jubeo. Script. Tubingæ, proprid. Cal. April. anno 1669.

Excell. V.æ

addictissimus
Tob. Wagner, D. Cancell. ibid.
& Facult. in præsens Decanus.

§ 37. Sequuntur aliæ Literæ Summorum Virorum.

Salutem in DNO omnigenam!

Vir plurimum Reverende, Amplisſime, Excellentisſime Fautor atque Amice multis nomin. colende.

INgratus forem vel maximè, niſi pro transmiſſis & literis adeò amicis, & Libello adeò docto, (accepi utraque pridiè), obſtrictum me Tuæ Excell. profiterer ingenuè. Voluiſti hunc Tractatum Tuum exhiberi ELECTORI Ser.mo: Feci, ſeriè rerum hactenus geſtarum ſimul commemoravi breviter, unà adjectô negotii pondere: quæ omnia clementiſſimè admiſit Princeps Optimus, ut ut ſententiam commiſerit ferendam foro competenti. De Encomiis alioqui circa laborem exantlatum egregiis gratulor haut immeritò, exoptans pro dignitate eorun-
NB dem &c: &c: Vindicias quod ſpectat, gaviſus ſum jamdudum de patro-
„ ciniô bonæ adeò Cauſæ maſculô ac indefeſſo, mecumque haut dubiè
„ gratias tuæ Excell. decernent Boni plures. Faxit DEUS, ut veritati
NB tandem cedant, convitiariq; deſinant, ὁι ἐξ ἐναντίας. Vale in DNO.

Pl. Rev. Tuæ Exc.
ad quævis offic.
Martinus Gejer, D.
d. 4. Junii 1669. Dresdæ.

Salutem, preces, & officia paratiſſima!

Vir maximè Reverende, Amplisſime, Excellentisſime Domine, in Chriſto Frater, Fautor, atq; Amice colendiſſime.

AMantiſimæ Tuæ 14. April. Kilonii ſcriptæ, 9. Maji per Dn. M. Schmaltzium Conrect. unà cum duobus exemplis Anti-Conringi Apologetici, & unô Hebraismi Reſtituti, Inſtitutionis Methodicæ Acc. & Vindiciarum, mihi oblatæ, fuerunt gratiſſimæ. Cæterùm ſen-
NB tentia illa, *Laborare Textum Hebraicum in Vet. Teſt. ſuâ incertitudine,*
NB mihi ſemper fuit viſa intolerabilis. Non adeò mirum eſt, ſi Pontificii hoc ſtatuant, & juſſu Electoris Moguntini Biblia Germanicè verſa, & hujus

hujus seculi annô 62 typis impressa, factô ipsô loquantur, quod præfatio indicat; Es könne uns niemand versichern / das die Copeyen (der Heiligen Schrifft) / mit den Original-gleich lautende befunden
NB werden / &c: &c: Dolendum verò est è nostratibus quoque esse, qui er-
NB rorem istum errent, aliosque suâ autoritate & exemplô suô, in errore
„ vel confirment, vel dubios reddant. Pro vindicatâ proinde Textus
„ Hebræi certitudine, maximæ Tuæ Amplitudini & Excellentiæ debentur gratiæ. Vale in Domino. Dabam Alteburgi, 1 Junii An. 1669.

Maximè Reverendæ Amplissimæq;
Excell.æ Tuæ

Studiosissimus
J. Christfried Sagittarius D. mpp.

Possem, si opus, & alias hìc Literas, tùm à Cl. Dn. *Carpzoviô* Prof. Hebræo in Inclutâ Lipsiensi, piô Zelô me & mea asserente; tùm ab Adm. Rever. Dn. Wilh. *Verpoorten*, Consiliario Ecclesiastico SERENISSIMI Ducis Gothani; cujus Celsitudini quoque totum negotium ex utriusque Scriptis fideliter relatum, atque è notô toti Germaniæ pientissimo SERENITATIS Suæ in in Verbum DEI affectu, Clementissimâ in Defensorem Ejus gratiâ est acceptum. Addo tamen

Excerptum è Literis Celeberr. Dn. Cocceji,
ad Amicum quendam.

EX Literis Cl. D. Wasmuthi intelligo, eum de me habere eam fiduciam, quod potiùs cum ipsô sentiam, quàm cum D. Conringio, quod attinet *utilitatem* & *necessitatem* cognitionis Hebraicæ Linguæ, imô
NB Hebraicæ lectionis Sacri Codicis. In quo is non fallitur. Et pro virili
„ hoc ostendi in scriptis ad Cl. Dn. Vossium, & passim in meis. Erit mihi
„ etiam occasio eâ de re dicendi in Præf. ad Lexicon meum, &c: &c:
„ Ego interim D. Wasmutho ex corde faveo, & ipsius Hebraismum magni facio. Cui à me salutem prolixam nuncies velim. Lugduni Bat. ad d. 6 Febr. An. 1668.

Excerptum è Responso Celeberrimi Dn. Altingi, ad meas Literas.

S. P.

Admodum Reverende & Celeberrime Vir.

QUæ ad me mittere dignatus es, fidorum latorum manu mihi fuerunt exhibita. Re cognita non potui non ingemiscere, quod in Reformatione primâ superiore seculo tantoperè & laudi fuit & utilitati, ut ad *NB* Fontes doctrinæ sacræ iretur, id jam displicere, & tantùm non damnari. Scilicet qui Hebræa ignorant, oderunt; & cùm se solos sapere credant, odium istud aliis quoque persuadere satagunt. Sed Deus qui olim Verbi sui vindicias egit, idem nunc quoque illud non deseret. Is animum & vires largiatur compluribus, ut causam ejus contra Versiones sic agant, quò hæ omnes Hebræo Græcoque Textui cedant, & quam non habent in suô Idiomate emphasin, ab Originibus primis, & Spiritu S. isthic loquente, accipiant. Idem Te quoque Vir Celeberrime *NB* roboret, ut bonam causam benè agas, & Veritas Divina etiam Te juvante triumphet. Hactenus dum aliter non licet, votis opitulabor, & sic saltem testabor me vivere,

Grôningæ d. 29 Decembr. An. 1668.

Celeberr. Nomini Tuo
Addictissimum
Jac. Alting.

§ 38. Ex hisce omnibus utique liquet, vanum nimis & falsum in eo esse Conringium, quando *consultos à me, vel non-dignatos me esse responsô*, autumat, *vel ita respondisse, ut* STCOPHANTA *non fuerit ausus illa* prioribus *adjungere*, l. cit. Quin potiùs tàm ex illis jam antè *Anti-Conringio* meo subjectis JUDICIIS, quàm & reliquis nunc adductis, patet, quàm in causâ hâc S. Veritatis Hebrææ, è septem jam *Academiis*, scil. (ordine quo mihi obtigerunt), *Lipsiensi, Gryphiswaldensi, Wittebergensi, Argentoratensi, Havniensi, Tübingensi, & Upsaliensi*, totidem Facultatum

tatum Theologicarum; item trium Presbyteriorum, *Lubecensis*, *Hamburgensis* & *Lunæburgensis*: tùm & aliorum *Decem-Virorum* quasi hujus Censorii Senatus, ut Celeberr. Dn. *Ravij*, (orientis quondam Incolæ famigeratissimi, nunc & Chronologiæ è S. Fonte Restitutoris primi), Celeb. *Hottingeri*, at quanti nuper Viri! Summorum Ecclesiæ aut Academ. Antistitum, Dn. *D. Wagneri*, Dn. *D. Gejeri*, Dn. *D. Sagittarij*, suprà allegatorum; nec non Batavorum Optimatũ in his studiis Cll. Dnn: *Voetii*, *Essenii*, *Leusdeni*, *Cocceji*, *Altingi*, Virorum omnium supra laudem, prorsus concordia in omnib9 punctis pro me certent vota & suffragia. Clementissimè etiam approbantib9 eandem meam Causæ sanctæ assertionem Serenissimis Capitibus, quibus res tota unà cum Libellis nostris fuit exposita: SERENISSIMÆ nimirum Regiæ Majestati Daniæ, tùm SERENISSIMO Electori Saxoniæ; nec non Holsatiæ Duci SERENISSIMO, DNO meo Clementissimo; aliisque SERENISSIMIS Ducibus Saxoniæ atque Meklenburgi, tùm plurimis in Suecia atque alibi MAGNATIBUS. Insuper & certò promissa mihi adhuc Suffragia expectantur, ab Illustr. Acad. *Jenensi*, (speciatimque ibi Cl. Dn. *Frischmutho*), atq; *Giessensi* Acad. nec non pl. Rev. *Ministerio Dantiscanô*, nec minùs ab aliis quibusdam Celeberr. Philolo-Theologis in *Britannijs* atq; *Gallijs*, quò jam tùm *Conringiana Epist. Grat.* ci-que oppositum *Programma* meum, tùm Conringi *Vindicatio*, & hinc meus *Anti-Conringius* eô fine submissa sunt; *Heavtontimorumenô* nunc pariter ad omnes subsecuturô.

§ 39. Præ hisce verò omnibus ne unicus adhuc Conringianus Suffragator in publicam scenam produci sustinuit: quamvis multis Graculis Anti-Hebræis non caruerit clandestinis Plausoribus ille *Magnus Deus Psaphon*: sed quos altus nunc unà cum Conringiô rubor habet, & plusquam Pythagorica

gorica ἐχεμυθία, quæ quinquennis tantùm fuit, cùm hæc perpetua sit futura: siquidem jam tùm illi tenebriones omnem ulterioris inquisitionis modum ita formidant, *ut nec audire sustineant, nec probari velint non esse, quæ ipsi mallent credidisse*, Tertullianéi quondam Apologetici querelâ. Cæterumverò unam quod attinet demum *Academiam Rostochiensem*, (ad cujus censuram collimare illa superior Conringi cavillatio, fortè è susurris quibusdam, videtur); cùm in eâ & Collegas veteres & Affines colam Amicos, nolui hactenus eorundem censuram in scriptô licet obtentam *An.* 1668, *M. Jun.* publicare aut reliquis meis adjungere, ne scil. imitator fierem Conringi *magnos Amicos & Fautores, Judices legentis, nec alios vel optantis, in Vindic. p.* 5, 6, 9, eundemque igitur cum illo incurrerem gravem *elenchum* Magni (Conringio) *Aristotelis, lib.* 1. *Rhet. c.* 38, *Judices gratificantur illis, quibus* AMICI *sunt*, &c: Cùm jam verò isthâc meâ sinceritate abuti Conringius cœperit, quasi *non dignati me sint suffragiis aliqui à me consulti*; nunc ergò ut hâc etiam in parte se prorsus frustratum votô videat Conr: brevissimè saltem ex eôdem Suffragio Rostoch. allegabo fideliter præcipua rerum argumenta, ceu & superioribus gratæ brevitatis ergò factum; originalibus omnium illorum cuivis desideranti semper monstrandis. Primùm igitur, Gratissimum sibi fuisse scribunt dicti Pl. Rev. Dnn. Theologi, & incolumem me & in asserendo propagandoque Linguarum sanctioris olim Orientis, & in his Authenticarum Scripturarum studiô, non sine nobili fervore & scientiâ Zelotam. Hoc certè pro me Dn. Conringi. Porrò, Minùs gratum sibi esse memorant, quod sanctiori causæ immistus sit nigræ lolliginis succus convitiorum puerilium & rixarum, dum mulierc ularum more (versibus quibusdam ex Homerô citatis), jaciantur opprobria, vix navi magnâ vehendum onus. Hoc jam pro Te Dn. Conringi. Pergunt: De ipsâ quousque

usque nobis licet arcem causæ invadere, mentem nostram paucis accipe. Thesin tuam, in assertâ S. Codicis Hebræi Divinitate, Integritate, infallibili Certitudine, (NB Conringi, contra tuam *incertitudinem ejus aliquam*), & præ omnibus quôcunque nomine veniant Versionibus NB incomparabili principalitate, quin & insigni cognitionis Pontium in ipsis Presbyteris & Dd. Ecclesiæ necessitate (NB Conringi), negatâque Versionis ullius, (ergò etiam Saubertianæ, LXX, imò & B. Lutheri, Belgicæ, Suecicæ, aut Anglicanarum) in se consideratæ ἀναμαρτησία s. inerrabilitate, (NB) planè probamus, scriptisque publicis in hâc Universitate defendimus, quin ipsos Pontificios inter se committimus, ut succincta cohors, (cumque ea Conringius) rubere discat. Atque hæc iterum pro me Dn. Conringi. Hinc prolixum allegant locum ex Aria Montanô, summi Nominis summæque dignationis in Hispaniâ, Belgio, & ipsâ Româ: Quod nullum in tota Scriptura S. (NB) vel minimum sit vocabulum, quod non à Spiritu S. sit profectum, ut sacra lectio (NB) quàm integerrima & incorruptissima constaret. Tùm קרי & כתיב utramque lectionem, (NB Conringi, contra *Achilleum* tuum argumentum, stramineum verò à me revictum fusè in Anti-Conr. à pag. 256 usque 368), esse componendam in investigando arcano sententiæ genere. Lector ipse judicabit, neutram partem esse meritò rejiciendam, (prorsus uti & ego docueram, loc. cit. *à pag.* 324 *usque* 348, videatur & sup. p. 73) imò utramque retinendam & componendam. Quanquam enim altera magìs apertam sequacemque redat sententiam, utraque tamen simul plenam magìs, & significationis pondere graviorem reddere comperietur. Hoc omne iterum pro me Dn. Conringi. Concludunt tandem: In hâc nobili confessione, quantam ab Adversario, & ex superiori seculô vel optare licebat, nunc subsistemus; Epicrisin in quinq; illas Quæstiones (in Libello meo Appellatorio) ad hypothesin Saubertianam & Conringianam excurrentes, postquam jam publicis acerbioribusque Scriptis coïtum est, sive suspendentes sive tutiùs declinantes. Hoc quidem pro neutrô, Dn. Conringi; nec eô tu magìs quàm ego lætaberis:

beris: quandoquidem illæ *specialiores* desideratæ *Epicrises ad quinq; Quæstiones Anti-Sauberto-Conringianas*, nihilominus à tot aliis Celeberr. Censoribus, Theologis & Philologis, justô & cordatô Zelô abundè nobis impertitæ, rem omnem ultrò conficiunt. Tùm verò non possunt non & illi vehementer improbare (ex opppsitô) tuam Thesin, ejusque argumenta (de quibus quæsitum à me fuerat), qui mea omnia sic *planè probant, ut Scriptis publicis ea defendant, &* adversam *succinctam cohortem rubere jubeant*, ceu suprà audivimus.

Et sic habes Conringi post alia omnia, etiam Rostochiense Judicium, ceu octavæ jam Academiæ mecum consensum publicum. Tu ergò si quid his,

vel *quid nôris rectius illis*,

Candidus imperti; si non, his utere mecum.

EPILOGUS

Quô omnis cum Conringio controversia sic jam satis perorata, sub justâ ipsius pœnitentiæ & deprecationis necessitate concluditur, ac supremô finitur colophone.

QUandoquidem nunc ergò *utraque Causa* nostra Conringi, tàm ipsa primum *principalis* S. Veritatis Hebrææ, (ratione ejus *certitudinis* & *integritatis* absolutæ, nec non *necessarii* in Ecclesia seu Presbyteris ejusdem *usus*), quàm nunc etiam subornatæ pro ea à Te *Actionis injuriarum*; tàm anteà in *Anti-Conringio* Apolog. quàm nunc præsente *Heavtontimorumenô*, non solùm rerum *argumentis* invictis, sed & Censorum incorruptissimorum *Suffragiis* gravissimis, omnis adeò expedita est, ut cui hæc non sufficiant ei nulla unquam sufficiat merito dicantur: cùm nihil omninò manserit reliquum, quod non abundè omni ex parte à nobis expensum atque discussum sit. Quid jam aliud igitur tibi restat mi Conringi, quàm ut tot *privatis* primùm, deinde & *publicis* meis non modò, sed & tot summorum Censorum elenchis, admonitus, de tuis tot *heterodoxiis* toti Ec-

ti Ecclesiæ summè pernicioſis ac hæreſi paſſim affinibus, inque me *convitiis* iniquiſſimis, ſeriam *pœnitentiam* agas, & (ſiquidem Gratiæ Divinæ in hôc & futurô ſeculô certus eſſe cupis, cùm utique *Judex ſuper his omnibus ſit DOMINUS*, 1 *Theſ.* 4, 6), agnoſcas non ſolùm, ſed & omni meliori modô ac ratione emendes atque repares, quicquid damni Eccleſiæ mihique, iniquitate tuâ eſt illatum; ſiquidem è vetere dictô, *Peccatum non remittitur, niſi ablatum reſtituatur.* Eſt certè quod *caveas à proprij cordis deceptione*, *Jer.* 17, 9: *& in Ep. Jac. c.* 1, *v.* 26: *Antequam Judicium egrediatur*, *Zeph. c.* 2, *v* 2. Nec enim confides nunc porrò, quod *Eluſionibus* tuis Sophiſticis (imputatarum mihi falſiſſimè *perverſionum* aut *mendaciorum*), ſubducturus te ſis prudentis Lectoris judicio. Is namq; tot jam centenis evidentibus experimentis tergiverſationum tuarum (etiam atrociter querularum), cautior factus, diſtrictè in omnia profectò inquiret, an etiam ſec. omnes & ſingulas meas §§ mihi reſponderis NB; & quomodocunq; elabi conantem retrahet Te è fugâ, propriisque ſaltem tuis ſtare jubebit verbis, quibus, prævio D. Apoſtolô, 2 *Cor:* 1, 13, Wir ſchreiben Euch nichts anders / denn was Ihr leſet und auch befindet/ Te quoque *non aliter ſcripſiſſe* aut *ſenſiſſe* planè oporteat, quàm omnes Lectores *legunt* & *inveniunt* planâ & ſimplici ἀυτοψίᾳ, in tuâ *Epiſt. Gratul.* & *Vindicatione*. Memor Tu ergò illius *Prov.* 28, Wer Seine Miſſethat leugnet / dem wirds nicht gelingen; cave etiam, ne modò illud *Studij pacis* nomen velut glaucoma injicias, aut *negotiorum* tuorum *molem* grandiorem, (præ leviori quaſi hôc negotiô ſacrô), denuò obtendas, abſcondendis vel & *abjiciendis* unà *meis tuisque*: dum βδελύγματα tua excuſare quàm excutere mavis; cùm tamen potiùs elenchis meis ſatisfaciendi impoſſibilitas, tuæ pariter & omnium Lectorum conſcientiæ dudum ſit manifeſtiſſima. Nec verò etiam privatâ tuâ vel & Academiæ publicâ autoritate impoſterum *confiſcare* aut prohibere Helmſtadiô mea Anti-Conringiana labores Conringi: ceu à te nuper factum eſſe, à fide dignis accepi. Annon pudet verò tàm manifeſtò fieri luci fugam? & Veritati ſacræ contra conſcientiam ponere obicem? Eccur Tu meis non æquè ac ego tuis inoffenſam linquis extandi publicè libertatem?

Dic aliquem ſodes, da Quintiliane colorem.

Quin edat in publicum *Academia Helmſtadienſis*, (vel quotquot potiùs

in ea sunt factionis Conringianæ), rationes & causas suæ *confiscationis* Anti-Conringiani mei Scripti; & dispiciemus mutuò de justè aut injustè factorum argumentis, quamque bellè Orthodoxi sint, qui à communi Lutheranorum orthodoxiâ se ita separant. Certè in ejusmodi se latibula prohibitionis librorum innoxiorum proripere, Syncretistarum & Pontificiorum est, non benè consciorum & ingenuorum. Hi pasquillos & infames chartas hominum sceleratorum, illi Vindicias sacras piè Doctorum proscribere, & confiscare solent, quò veritas sub *Injuriæ & Scelerum* falsò opprobrio extinguatur. Quamvis reverâ sic oleum potiùs infuderitis igni: cùm nemo certè tàm obesæ naris sit, quin aliquid grave & operâ dignum allatum esse facilè olfaciat, cui aliò obviare justò titulò Vobis impossibile fuerit, quàm suppressione, sed quæ non ultra Helmstadiense bibliopolium iret. Scilicet, Wer arges thut/ hasset das Liecht / *Joh. 3:* ceu & publicâ illâ Eruditi Orbis luce pridem arcere mea, inexplicabilis Conringi vafrities omnibus viis ac modis attentavit; nec nisi immensa DEI Bonitas hanc causam sanctam ac gravem, illis dolosis ejus prohibuit tenebris. Quibus jam verò ut semel omnes præcludam novos imposterum aditus; publicè nunc hisce provoco atque compromitto, me quovis tempore & locò aliquò tertiò compariturum Conringio, ad coram disceptandam publicè cum ipso & Assecl is omnem hanc controversiam sacram, in Illustri Academicâ coronâ, modò me aliquò evocare publicè sustinuerit Conringius. Ne porrò scriptionis novos semper ab integro ordiamur labyrinthos, quorum finis non alius sit, quàm non quærere aut sperare finem, imprimis si *Injuriarum & Retorsionis* implicentur laqueis, quales nuper Diabolus stabiliendo suo tenebrarum Regno invenit technas omnium subtilissimas, sed quibus in hac controversiâ sacrâ nullus à me permissus est locus. Vel tandem igitur Conringi cave incidas in illa extrema conclamantis Prophetæ; *Hæc omnia viderunt oculi tui, nec tamen destitisti, sed perrexisti*: neu te feriat tandem fulmen illud Apostoli, *Post unam alteramve admonitionem, Refractarium fugere* jubentis, *tanquàm hæreticum perversum & in conscientiâ judicatum*, ad *Titum* c. 3 v. 10, 11. Etenim *Bis peccare abundans est; tertium verò inducet iram Eccles.* 23, 21. Et præstat utique, unum quendam noxium hominem sua pati & luere heterodoxa, omni pervicaciâ desperatissimâ ac monitoribus

asperâ

asperâ sibimet attracta; quàm innoxiam adeò totius Ecclesiæ orthodoxiam pessundari, & Hæreticorum sic objici furoribus, ut præsentissimo exitio detur proxima. Sed utut demum visum fuerit Conringio; mihi certè firma ac constans sedebit illa sententia Jobi *cap.* 17, *vers.* 9, *Tenebit Justus Viam suam, & purus manibus addet fortitudinem.* Tu hisce æternùm mihi vale Conringi; & vive ad conversionem, pro quâ votô & precibus meis apud DEUM jam nunc intercedo, nec imposterum desistam.

Psal. 68, *v.* 29, 31, 34, 36.

Dasselbe wollestu GOTT uns stärcken / denn es ist dein Werck.
Schilt daß Thier im Rohr / die Rotte der Ochsen unter
Ihren Kälbern *. Lobsinget dem Herrn: Siehe / Er wird
Seinem Donner Krafft geben:
Gelobet sey GOTT.

* Id est, è glosâ B. Lutheri; Falsche Lehrer mit ihren Hauffen unter Ihrem (Syncretistischen) Volck: Wie die Hengste das Wasser zutreten und trübe machen / das nicht zu trincken ist; also zutreten und NB machen trübe die H. Schrifft alle Rottengeister.

INDEX Synopticus
Rerum & Ordinis,
In
HEAVTONTIMORUMENO CONRINGIO
HEBRÆO-MASTIGE.

§ 1. Mirum nimis esse *attentatum* Conringi, publicantis *Actionem injuriarum*, ultrò licet desertam in Judicio sibimet delecto, *pag.* 3, 4. Nam

§ 2. (I). Clarè satis constabat Conringio è *Cap. I. Anti-Conr.* mei, NB nihil planè *falsò* aut *perversè allegatum* esse in Program: meo ex ejus Epist. Grat. *pag.* 5, 6.

§ 3. Nihilominus infrunitè *pernegat* ille, *sic legi* aut extare sua; licet tot testes lectionis ejus habeam quot Lectores, *pag.* 7.

§ 4. (II). Clarè satis constabat eidem è *Cap. II Anti-Conr.* vanas esse ac frustraneas omnes in *Vindicatione* ipsius *Sophisticas Elusiones* justi Elenchi mei: & nihilominus (dum nihil eorum vel tangere iterum ausus est Conring.) ille *REPETIT modò eadem, nec mutat quicquam, pag.* 8, 9. quod annon perfecti *Circulatoris* est? Resp: verò cum Conringio *in Resp. Alt. ad Val. p.* 11, *Atmi* (*Valeriane*) Conringi, *quis à te desideravit illas REPETITIONES? pag.* 8, 9.

§ 5. (III) Clarè satis constabat eidem è *Cap. III Anti-Conr:* mei, illa XIV *Paradoxa* Conringi, & *Argumentis* rerum invictis, & *Suffragiis* Doctorum planè concordibus, esse condemnatissima: nihilominus ille, quasi nullius heterodoxiæ reus, *consensum* etiam *Ecclesiæ* & *Doctorum* ab se jactare non erubescit, *pag.* 10, 11.

§ 6. Quin si vel posset nonnulla *è sup. seculorum barbarie* vel tenebris, pro se allegare Conringius; tamen debuerat potiùs, &c: *pag.* 12, 13.

§ 7. (IV). Clarè satis constabat Conringio, è *Cap. IV* mei *Anti-Conr:* Nullam igitur omninò *injuriam* ipsi à me esse factam in Programm: *pag.* 14, 15.

§ 8. Contra *tepidos* & *remissos pacis intempestivæ* Commendatores, qui gravem DEO rationem suæ socordiæ reddituri sunt, *pag.* 16, 17, 18.

§ 9.

§ 9. Contra tritam illam προφάσιν *Admonitionum* priùs *privatarum*, *pag.* 19, 20.

§ 10. Contra *Scepticos* veritatis Exspectatores, qui *doctâ* velut *ignorantiâ* in infinitum suspensam volunt certitudinis hìc demonstrandæ fiduciam, phantasticâ suâ ἐποχῇ *SI, &c: pag.* 21, 22.

§ 11. (V). Clarè satis constabat Conringio, è *Cap. V Anti-Conr*: Se potiùs injuriosissimum in me extitisse, tùm *convitiis scurrilibus*, tùm falsissimis imputationibus *mendaciorum aut perversionum*, *pag.* 23, 24.

§ 12. Illa omnia *licet constarent* Conringio clarissimè; tamen ille *Actionem Injuriarum* &c: *pag.* 25.

§ 13. Licet *Injuriosus ipse* potiùs fuerit (1) in DEUM; (2) In Verbum Dei Originale; (3) In Ecclesiam nostram Lutheranam, *pag.* 26, 27.

§ 14. (4) In *Serenissimi* Principis nostri Judicium Aulicum Gottorfiense, *pag.* 27, 28, 29, 30.

§ 15. (5) In quemlibet honoratum *Lectorem*, *pag.* 31. (6) In *me*, *pag.* 32. Inque *Suffragatores* meos, *pag.* 33, 34.

§ 16. Tot modis *Injuriosissimo Actori Injuriarum*, opponitur (1) *Libellus meus Exceptorius*, Judicio Sereniss. Aulico exhibitus in duplo. *à pag.* 33 *usque* 41.

§ 18. (2) *Germanicæ* tunc simul Literæ oppositæ Germanicis Conringianis, *pag.* 41, 42, 43.

§ 19. Hinc *Replica* Conringi. *pag.* 44, 45.

§ 20. Copia *Mandati* ad ea Serenissimi, *pag.* 46.

§ 21. Responsum seu *Duplica* Wasmuthi, *pag.* 47, 48, 49, 50.

§ 22. Copia Serenissimi ad superiora omnia *Decreti*, *pag.* 51.

§ 23. E quibus omnibus, *justè peracta & decreta* esse omnia in Judicio Aulico clarè constat, *pag.* 52.

§ 24. Contra Conringianam *Ruditatis* & *turpis insciticæ* imputationem circa Programma meum Pro-Rectorale, *Responsio excerpta* ex Anti-Conringio. *pag.* 53, 54, 55.

§ 25. Sequuntur *Responsa* ad reliquum *Actionis Injur. supplementum* Conringianum. *pag.* 56.

Et quidem (1) Ad longam lentamque Causæ conclamatæ declamationem, de *injuriis Literatorum*, harumque *impunitate*, *pag.* 57.

§ 26. (2) Ad protestationem Conringi, *ne Judices ita conniveant ad injurias Literatorum*, *pag.* 58.

§ 27.

§ 27. (3) Ad compromissum Conringi in *Judicium* Illustris *Academiæ Kilonienſis*, *pag.* 59.

§ 28. (4) Ad Conr: *cavillum* de *biennali parturitione* in edendo *Anti-Conringio*: Resp. quod vicissim ille ne *decennali parturitione* ei satisfacturus unquam sit, *pag.* 60. Quod & jam prodit cautè prætendens suæ *impossibilitati* respondendi, modò *negotiorum molem*, modò alia frivola; *pag.* 60, 61.

§ 29. (5) Ad ampullas Politici tumoris, quod modò *obiter inspexerit* hæc inter nos controversa sanctiora, *aliis* verò *accuratius lustranda* permiserit; quasi nihili sit tàm fœdè heterodoxum esse, *pag.* 62, 63.

§ 30. (6) Quod *omnem Academiam Juliam atrocissimis contumeliis* affecerim, *pag.* 63. Resp: Me *ipsammet* addicere *Judicem*, *ibid.* Quod & *Duum-Viros D. Calixtum & D. Hornejum* adortus sim: Resp. Jure optimô, etiam *D. Drejerum* & D. *Calixtum Jun.* paris heterodoxiæ omninò reos, *pag.* 64. Nam & ipse D. Hornejus similia heterodoxa vocat *Hæretica*, *stulta*, *absurda*, *pag.* 65; licet & ipse in eadem recidat alibi, *Ibid.*

§ 31. (7) *Duos exiguos Libellos* minatur Conr: quibus *consensionem secum Ecclesia* demonstrare velit: Resp: imò *cum Hæreticis* consensum maximum, *pag.* 65, 66.

§ 32. (8) *Novâ fide consensuali infectos*, ait mecum facere: Resp. *Novâ fide dissensuali Syncretisticâ infectos*, cum Conringio, *pag.* 67, 68.

§ 33. (9) Duo Fundamenta *novæ Dissensualis fidei Babelicæ*, *scil. Non omnimodè certa & integra S. Scriptura, minorque ejus quam Philosophiæ necessitas NB ad studia sacra:* quod inde *barbaries* super. Seculorum jam proximè immineat, *p.* 69, 70, 71.

§ 34. (10) *Non consultos* esse à me, prætendit Conringius, qui debuerant, aut *non respondisse eos* pro me, *pag.* 71, 72.

§ 35. Opponuntur hic Conringio *Responsa nova* (1) Academiæ Regiæ *Upsalienſis*, *pag.* 72, 73, 74.

§ 36. (2) Academiæ *Tubingenſis*, *pag.* 74.

§ 37. (3) Aliorum *Summorum Virorum*, *pag.* 75, 76, 77, 78.

§ 38. Summaria Anacephalæosis omnium Dnn. *Suffragatorum* meorum, *pag.* 78: approbantibus etiam Serenissimis Capitibus. *pag* 79.

§ 39. Præ quibus omnibus *ne unicus Conringianus Suffragator* publicus existit, *pag.* 79, 80. Etiam *Rostochienſi* censurâ antè non editâ, pro me faciente, *pag.* 80, 81.

§ 40 *EPILOGVS*, Conringio *pœnitentiæ & deprecationis* necessitatem commendans, cum promissô finitæ sic à meâ parte omnis controversiæ, & votô pro Conringi conversione.

HILARIUS.

Veritas, si arguatur falsi, prodit se apertissimè.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn793008832/phys_0100
DFG

me prosecutus es hactenus beneficiis, tum
no hoc, quo me verius Propheta tuo infan-
lutum labiis, hodie in Juventutis Doctorem,
æ vindicem, instaurandos etiam Zionis ar-
ctum voluisti ac constitutum. Quis ego sum,
uem in hanc sortem evexeris, aut quæ vires
ntum onus humeris sustineam meis? Nempe &
antium gloriam hauris tuam, & immensum
r in maxima etiam imbecillitate exeris. Dabis
ne Deus, ut Spiritu tuo plenus & gratia robo-
opus meæ commissum industriæ & auspicato
& alacriter persequar, & feliciter aliquan-
m. Dabis ut sensim in pristinum decus exur-
ccleſiæ tuæ seminarium; ut recuperata quasi
adolescat, floreat, in masculam ætatem re-
ost diu multumque inter decumanos bellorum
tatam arcam tuam, in perpetuum quiescat;
aurentur, collapsa erigantur, labefactata
, ut reddatur sua religioni puritas, sua pie-
endatio, suus charitati fervor, suum deni-
pretium. Accidant omnia sub Auspiciis
em nobis in maxima tua gratia concessisti,
Sit beata diu Respublica tanto Duce, beata
tanto Patrono, beata Ecclesia tanto Anti-
lle pupilla oculi tui, sit Germanæ Gentis de-
subditorum amor; sit terror hostium; sit Ec-
ex; sit veritatis firmamentum. Neque exoria-